ſunt. L. Filium. *Et etiam periculoſum eſſet mulieri illud detegere.*

His adde *S. Raymundi* Concilium, in Summa lib. 2. tit. *De Raptoribus*, §. 10. p. 176. *Mulier*, inquit, *quæ de adulterio ſuſcepit filium, vel ſuppoſuit ſibi alienum partum, debet laborare quibuſcunque modis poteſt, ut legitimi hæredes non fraudentur hæreditate paterna, caute tamen: revelare enim ſimpliciter marito, vel etiam ipſi ſpurio, vel ſuppoſito non expedit, tum quia guerra, homicidia, & adulteria fierent, cum maritus forte dimitteret eam, & non valentes forſitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula poſſent inde oriri: tum quia forte non crederent ſibi. Ex altera parte non videtur, quod poſſit agere Pœnitentiam, vel eſſe in ſtatu ſalvandorum, durante tali deceptione, quia* Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, 14. q. 6. C. ſi res aliena. *Verum, quia propter hoc non eſt ei Pœnitentia deneganda, ut ait Innocentius* Extra de Pœn. c. Officii, *ita procedat: Revelet in Pœnitentia factum ſuo Sacerdoti Parochiali, vel de licentia ipſius alii magis perito, & poſtea cum ipſo, vel etiam ſine ipſo, ſi vult, revelet Epiſcopo ſuo ſimiliter in Pœnitentia: & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos, ſi tantæ diſcretionis vel maturitatis ſit, vel, quod tutius eſt, ambo ſimul inquirant diligenter, & caute ſi ille ſpurius, vel ſuppoſitus ſit homo ſpiritualis, & timens Deum: quo invento, vocent eum ſecrete, & coram muliere, & ſi videbitur expedire, recepto prius Sacramento ab ipſa, quod calumnioſe non procedat, & etiam ab illo, quod factum ſecretum teneat, poterunt revelare ſibi; & inde conſulere, ut ingrediatur Religionem, vel transferat ſe ad longinquam regionem, ut ſic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat eſſe patrem ſuum. Ea autem, quæ conſumpſit de bonis prædictis, dum habuit bonam fidem credens ſe eſſe filium legitimum, reſtituat, vel componat, vel petat remiſſionem a viro mulieris ſi vivit, ſi autem, ab hæredibus legitimis, non tamen per ſe hoc faciat, ne factum reveletur, ſed per Sacerdotem, vel aliam ſimilem perſonam, quæ hoc procuret, tacitis ſemper perſonis, & facto. Si tamen non poteſt, vel etiam poteſt, ſed non poteſt plane induci ad hoc, non credo eum præciſe cogendum. Arg. Legis, quæ dicit, Bonæ fidei poſſeſſorem non teneri de conſumptis.* C. de rei vind. certum. *Si vero illi ſpurio, vel ſuppoſito non poteſt revelari ſine periculo, vel etiam facto ſibi revelato ſecundum formam prædictam, non vult acquieſcere conſilio, tunc etiam injungatur mulieri, quod de ſponſalitio ſuo, & aliis rebus, quas habet, vel in futurum habere poterit, ſatisfaciat juxta poſſe, dolens ſemper de peccato, & quia non poteſt plene ſatisfacere, proponens firmiter in animo, quod ſatisfaciet, quam cito poterit: hoc tamen fiat per medium Pœnitentialem, vel Perſonam Religioſam ſecrete, & caute: & poteſt uti his verbis, Quædam perſona tenetur vobis in hoc, accipite: & ita erit: in bono ſtatu.* Arg. 12. q. 5. can. Hoc videtur. *Et in prællegata Decretali* Officii.

REGULA III.

Moroſa delectatio de rebus obſcœnis lethale peccatum eſt contra ſextum Decalogi Præceptum.

Moroſæ delectationis peccatum.

Moroſam delectationem intellige, quæ plene deliberata eſt. Non enim moroſa dicitur ex mora temporis, *Sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt*; (inquit *S. Th.* 1. 2. q. 74. art. 6. in reſponſione ad tertium.) Delectationem etiam intellige non de cogitatione ipſa, ſed de re obſcœna cogitata, v. g. de fornicatione, de adulterio, de inceſtu, &c. ut docet *S. Thomas*, art. 8. ejuſdem quæſtionis. Lege, quæ dicta ſunt lib. 3. hujus Operis, cap. 4. Regula 54.

REGULA IV.

Aſpectus impudici, & libidinoſi ſunt lethalia peccata.

Ut enim ait Chriſtus, Matth. 5. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Et *S. Petrus* Ep. 2. c. 2. impudicos homines deſcribens, arguenſque, ait: *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti.* Quamobrem S. Job c. 31. Libri ipſius nomine inſcripti dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis?* Atque hoc eſt, quod monet David Pſ. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et Sapiens Eccl. 9. *Virginem*, inquit, *ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit.* Nec mirum; *Aſcendit enim mors per feneſtras noſtras*, hoc eſt per ſenſus, ut dicitur *Jeremiæ* 9. quemadmodum idem Propheta Thren. 3. confirmat, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*

Aſpectus impudici.

Eandem Regulam confirmant Patres. Tertullianus in Apologetico c. 46. *Democritus*, inquit, *excæcando ſemetipſum, quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potius, incontinentiam emendatione profitetur: at Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt, animo adverſus libidinem cæcus eſt.* Et Lib. *De Virginibus velandis*, cap. 3. *Ejuſdem libidinis eſt videri, & videre. Tam ſancti viri eſt ſuffundi, ſi virginem viderit, quam ſanctæ virginis, ſi a viro viſa ſit.*

S. Jo: Chryſ. Hom. 17. in Matth. *Chriſtus*, inquit, *non actum ſolummodo, ſed impudicum quoque coercet aſpectum, ut diſcas, ubi conſiſtat illud, quod ſupra Scribarum, & Phariſæorum noſtra præcipitur abundare juſtitia: Propter quod ait,* Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Hoc eſt dicere, qui dat operam in venuſta corpora curioſius intueri, & decoras aucupari facies, talique animam ſpectaculo paſcere, & obſcænos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcirco Dominus adveniſſe contentus eſt, ut ſolummodo corpus a malis actibus, ſed ut prius animam quoque ab ejuſmodi cogitationibus averteret. Quia enim Spiritus Sancti gratiam ſuſcepimus, merito ipſam purificat primam. Et quemadmodum,* inquis, *poſſumus a concupiſcentia liberari? Maxime quidem, ſi velimus, ſi ipſam mortificare poſſibile eſt, atque ne in opus erumpat, continere. Tum vero hic non generaliter concupiſcentiam interimit, ſed illam, quæ ex formæ decore concipitur. Qui enim ſtudet elegantes facies inſpicere, ipſe præcipue fornacem ſibi iſtius paſſionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter abducit. Propterea non dixit, Qui concupivit ad adulterandum, ſed, Qui viderit ad concupiſcendum. Ideſt, qui concupiſcentiam vivendi curioſitate ſibi ipſi collegerit, quique nullo omnino cogente, quieſcenti animæ feram ſubito immiſerit. Hoc enim non jam naturæ eſt, ſed propriæ omnino deſidiæ: quod certe olim etiam Veteri Lege prohibetur,* Noli, *inquit,* addiſcere pulchritudinem alienam. *Deinde ne quis diceret, Quid autem etſi inſpiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aſpectum, ne hujuſmodi licentia fidens, etiam in peccatum quandoque corrueret. Quid autem,* inquies, *ſi video, & concupiſco quidem, ſed tamen turpe nihil ago? Et ſic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim Lator Legis, nec amplius aliquid oportet ſcrupuloſius inquirere. Nam ſemel quidem, & ſecundo, & tertio ſic videns, poſſis fortaſſe animum continere. Si vero frequenter id feceris, fornacemque iſtam ſponte ſuccendas, profecto capieris. Neque enim extra naturam, aleamque humanam conſiſtis. Sicut enim nos cum gladium teneri videmus a puero, etiamſi nondum vulneratum inde eſſe cernamus, verberamus tamen, ac ſæpe minantes denuntiamus, ne quando illum rurſus attingat: ita etiam Deus inverecundum coercet aſpectum, eumque ante opus tollit, ne quandoque in ipſam quoque incidat actionem. Qui enim in ſe flammam cupiditatis accenderit, etiam abſente muliere, quam vidit, jugiter apud ſemetipſum turpium rerum ſimulacra depingit, & neceſſe eſt hujuſmodi nonnunquam ad flagitium ipſum opere pervenire. Propterea eos quoque, qui in ſolo fiunt corde complexus; Chriſtus interimit..... Propterea etiam B. Job hanc ſibi ab initio legem ipſe decreverat, periculoſum hoc ſpectaculum undique a ſuis oculis repellendo. Siquidem poſt hujuſmodi aſpectum multo jam difficilius certamen efficitur, cum & viderit aliquis, & tamen ea, quam viderit, non fruatur, nec tantam de contemplatione ipſa capimus voluptatem, quantum patimur de argumento iſtius cupiditatis dolorem, fortiorem contra nos facientes hoſtem, & ampliorem locum Diabolo dantes: ut nequaquam illum ulterius propulſare valeamus, poſteaquam ſemel in intima cordis admiſerimus, eique temere mentis noſtræ clauſtra reſeravimus. Idcirco præcipit ne forniceris oculis, ne per hoc ſcilicet animo forniceris. Eſt enim poſſibile & aliter aſpicere, ut certe aſpiciunt, & pudici: & ideo non ſimpliciter aſpectum, ſed concupiſcentiæ junctum interimit aſpectum. Niſi enim id voluiſſet efficere, utique dixiſſet, Qui viderit mulierem, profecto mœchatus eſt eam in corde ſuo. Nunc vero id omnino non dixit: ſed,* Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam: *Qui ſcilicet ad hoc aſpicit, ut oblectet aſpectum. Neque propterea tibi Deus oculos affinxit, ut per illos ad animum adulteria tranſmittas, ſed ut creaturas ejus aſpiciens, mireris Auctorem. Sicut ergo eſt temere iraſci, ita etiam temere videre, ſi id ad libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex vi ſuſcipere voluptatem, aſpice propriam conjugem, & illius uſque amore perfruere. Hoc enim nulla lex prohibet. Si vero erga alienum curioſus ſis decorem, tuam deſpicis, & iſtam profecto lædis, a qua in aliam oculos avertis, & ipſam etiam quam illicite contingis. Etſi enim illam nequaquam attrectaſti manu, ſed oculis tamen, ac voluntate palpaſti: propterea etiam hoc proculdubio adulterium reputatur; & ante futura illa tormenta, non leve jam in præſenti invenitur afferre ſupplicium. Nam perturbationibus, ac tumultu intrinſecus cuncta complentur, & multus quidem æſtus, plurimus etiam ſentitur dolor. Nec omnino hujuſmodi homo melius affectus eſt, quam affliguntur vel captivitate, vel vinculis. Et illa quidem, quæ lethalem hanc ejicit ſagittam, ea emiſſa ſæpe evolat, at ictus remanet: immo vero non illa ſpeculum torſit, ſed ut tibi ipſi plagam illam mortiferam intemperanter ſpectans inflixiſti.*

Matth. 5.

Aſpectus impudici.

S. Ambroſius, Sermone 16. in Pſalmum 118. *Oculus*, inquit, *tentationis dicitur, quia per oculum ſæpe tentamur. Oculus meretricis, laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit, ideoque Salvatoris ſententia plena juſtitiæ eſt, dicentis:* Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, adulteravit eam in corde ſuo. *Non dixit*, Qui viderit mulierem; *ſed* ad concupiſcendum *viderit: Oculum abſolvit, mentem ligavit. Nec dixit*, adulteravit *eam in oculo, ſed* in corde. *In oculo viſus eſt, in corde peccatum.*

S. Aug. ep. 201. alias 109. ad Sanctimoniales: *Oculi veſtri*, inquit, *etſi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, ſed appetere, & ab ipſis appeti velle. Nec ſolo tactu, ſed affectu quoque, & aſpectu appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe invicem ſibi etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.*

Et Enarratione in Pſalmum 50. *De longe vidit David illam, in qua captus eſt. Mulier longe, libido prope. Alibi erat, quod videret, in illo unde caderet.... Nunquid tu fortior quam David?* Idem confirmat *S. Greg. Magnus*, Lib. 21. *Moralium*, c. 2. cujus verba deſcripſi Lib. 3. hujus Operis. c. 7. art. 5. num. 4.

Secundum hanc Regulam lethale peccatum eſt, ſe ipſum, aut alium cujuſcunque ſexus in partibus verecundioribus corporis abſque neceſſitate, & cauſſa legitima, ſtudioſe intueri, quia ex hujuſmodi aſpectu impudico fœdæ libidinis imagines in animos noſtros irrumpunt, obſcœnique motus excitantur, ut plurimum. Copulam etiam brutorum animantium intueri, & conſiderare, periculoſum eſt, propter obſcœnas imagines, & cogitationes hinc in animum irruentes, quæ carnales homines, & ruſticos maxime, ad libidinem facile excitant. Atque hujuſmodi aſpectus ſpectato intuentium affectu, cupiditate, corruptione, peccatiſque inde ſequi ſolitis, lethale peccatum eſſe poteſt. Quamobrem Confeſſarii ruſticos homines ab eo avertere debent.

Lethaliter peccant, qui impudicas imagines apud ſe retinent, aut libidinoſis oculis intuentur.

Secundum eandem Regulam lethalis peccati rei ſunt, qui effingunt, palam exponunt, apud ſe retinent, aut ſtudioſe, & libidinoſis oculis intuentur imagines, quæ aliquam turpitudinis ſpeciem præſeferunt: cum ad turpes rerum illecebras, inflammandoſque adoleſcentum animos vis in illis ſit maxima. Unde *S. Jo. Chryſ.* in Pſ. 113. ait: *Dæmon nuda quoque figuræ aſſidet. Et nunc quidem ſtatuæ ſunt imagines fornicationis, nunc inſani in maſculos amoris. Quid enim ſibi vult aquila? Quid vero Ganymedes? Quid Apollo, qui virginem perſequitur? Quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique laſcivia nefariorum concubituum, & inſanorum amorum ſunt ubique figuræ.* Adoleſcentem quendam aſpectu tabulæ in pariete depictæ, quæ Jovem per imbrem aureum in Danaes gremium illapſum adumbrabat, ad libidinem ſe concitaſſe, & Jovem ad exemplum ſtupri ſibi propoſuiſſe, refert *S. Aug.* L. 1. *Confeſſionum*, c. 16. *Apollinaris Sidonius* Lib. 2. Epiſt. 2. ad *Domitium*, Ædes ſuas ruſticanas deſcribens: *Non hic*, inquit, *per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis præſtat Hiſtoria, quæ ſicut ornat artem, ſic devenuſtat artificem. Abſunt ridiculi veſtitu, & vultibus hiſtriones, pigmentis multicoloribus Philiſtionis ſupellectilem mentientes. Abſunt lubrici, tortuoſique pugillatu, & nexibus Palæſtritæ: quorum etiam viventium luctas, ſi invulvantur obſcœnius, caſta confeſtim Gymnaſiarchorum virga diſſolvit. Quid plura? Nihil illis paginis impreſſum, quod non vidiſſe ſit ſanctius.*

Quamobrem rerum turpium, & obſcœnarum imagines effingi Sacri Canones prohibent, *deleri, vel ad honeſtatem reconcinnari præcipiunt.* Concilium Mediolanenſe 5. p. 1. tit. *De his, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinet*, præſcribens, quæ a patribus-familias præſtanda ſunt, cum illorum ædes a Parocho ſollemni ritu benedicuntur, ſtatuit, ut *Imagines obſcœnas, & turpes incendant: profanas vero, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amovere ſtudeant.*

Conc. Mediolanenſe 3. tit. *De iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum, & Clericorum honeſtatem*, ſtatuit, ut *Si in hortis, ædibus, aliiſve Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum hominum locis, ſigna, imagines, aut picturæ ſunt, quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obſcœnitatis, turpitudiniſve ſpeciem præſeferant, ita reconcinnentur, ut offenſionem oculis ne præbere poſſint, aut tollantur, deleantur ex omni loco, ubicunque extant, neque in poſterum ejuſmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur. Et quoniam Chriſtianorum hominum mentes facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium, atque obſcœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ Synodi Canone. Itaque curet Epiſcopus, ut quicunque Laici homines id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expreſſas, pro Pietatis Chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio, eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honeſtatem reconcinnent.*

Prov. 4.

His autem verbis conceptus eſt Canon Concilii Trullani centeſimus a Concilio Mediolanenſi, & *S. Carolo Borromæo* laudatus: *Oculi tui recta aſpiciant, & omni cuſtodia ſerva cor tuum*, jubet Sapientia. *Corporis enim ſenſus ſua facile in animam effundunt. Picturas ergo, quæ oculos præſtringunt, ſive in tabulis, ſive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem facere aggreſſus fuerit, ſegregetur.*

Abſolutio illis neganda, qui obſcœnas imagines apud ſe retinent.

Eccleſiæ Biſuntinæ Statuta Synodalia, Rituale Bituricenſe, anni 1666. Statuta Cardinalis *Grimaldi* Aquenſis Epiſcopi, iis Abſolutionem Sacramentalem impendi vetant, qui obſcœnas imagines apud ſe retinent, nec delere, aut ad honeſtam formam reconcinnare volunt, nec non iis, qui illas effingunt, aut vendunt.

Chriſtiano Nomine indignos illos eſſe, & ad Gentilium mores deflectere, probat inſignis *S. Clementis Alex.* locus in *Admonitione ad Gentes*, cujus hæc ſunt verba: *Si quis ſculptilia ſimulacra contempletur, ex turpibus, ignominiaque, ac dedecore plenis figuris, veſtros Deos ſtatim agnoſcet... Si quis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelligit. Sic Pigmalion ille Cyprius eburneam amavit ſtatuam: erat ea ſimulacrum Veneris, & erat nudum. Movetur figura Cyprius, & coit cum imagine: quod quidem Philoſtephanus teſtatur. Venus autem alia in Gnido erat lapis, & erat pulchra: alius eam amavit, & cum lapide Veneris habet conſuetudinem, ut refert Poſidippus: prior quidem in Opere de Cyprio, alter vero in Opere de Gnido. Tantum ars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in baratrum.* Et paullo poſt: *Nos autem ne aures quidem ſtupris, ac fornicationibus iniquinare volumus. Sumus enim nos, ſumus, qui Dei imaginem circumferimus in hoc vivo, & mobili ſimulacro, videlicet homine, cohabitantem imaginem, conſulentem, colloquentem, contubernalem, & quæ noſtri movetur, iiſdemque dominatur perturbationibus.* Nos Deo donati, & dedicati ſumus pro Chriſto; Nos genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus peculiaris; *Qui aliquando non Populus, nunc autem Populus Dei; qui, (ait Joannes) non ſumus ex iis, qui ſunt inferius, ſed ab eo, qui venit ſuperne, omnia didicimus: qui Dei œconomiam, ſeu carnis ſuſceptæ diſpenſationem mente comprehendimus; qui ut in vitæ novitate ambularemus, nos exercuimus. Sed hæc non cogitat vulgi magna pars, ſed omni pudore, metuque depoſito, domi depingunt turpes Dæmonum in Venerem pruritus, & titillationes. Pictis enim quibuſdam tabellis, iiſque in alto ſuſpenſis mentem adhibentes, thalamos ornarunt impudicitiæ, intemperantiam exiſtimantes pietatem: & in cubili decumbentes, in ipſis amplexibus Venerem illam nudam reſpiciunt, quæ vincta eſt propter complexus: & ad Ledam advolantem avem, qui ob hoc ipſum, quod effœminata ſit, probantes picturam, in pala annuli exprimunt, & convenienter Jovis intemperantiæ ſigillo utuntur. Hæ ſunt mollis, & delicatæ vitæ veſtræ exemplaria. Hæ ſunt Theologiæ probri, & petulantiæ plenæ. Hæ ſunt Deorum. qui una vobiſcum fornicantur, doctrinæ. Nam quod quilibet vult, hoc etiam putat, ut ait Orator Athenienſis. Cujuſmodi autem ſunt aliæ quoque veſtræ imagines. Paniſci quidam, & nudæ puellæ, & ebrii Satyri, & membrorum erectiones, quæ picturis nudantur, quæ ab ipſa intemperantia arguuntur. Jam vero totius libidinis, & impudicitiæ figuras aperte deſcriptas publice intueri non erubeſcitis, ſed potius poſitas, erectaſque cuſtoditis, perinde ac ſi Deorum veſtrorum imagines impudentiæ columnas, domi conſecraveritis, figuras, geſtuſque Philænidis æque depingentes, atque certamina Herculis. Horum non ſolum uſus, ſed etiam aſpectus, & auditus deponendam eſſe memoriam vobis annuntiamus. Scortatæ ſunt aures veſtræ, fornicati ſunt oculi; & quod eſt magis novum, ante conſpectum veſtri adulterium admiſerunt aſpectus.*

Pag. 38.

Pag. 49.

1. Pet. 2. 3.

Quod ſi ex privatis domibus amovendæ ſunt obſcœnæ, laſcivæque imagines, multo magis curandum eſt, ne in Templis Deo dicatis collocentur, quod Sacro-Sanctis Conciliorum Decretis ſpeciatim prohibetur. Tridentini Seſſ. 25. Tit. *De Veneratione Reliquiarum Sanctorum, & Sacrarum Imaginum*, Cameracenſis anno 1569. Tit. 20. c. 2. Mediolanenſis 1. Conſtitutionum P. 1. Num. 1. Mechlinienſis anno 1570. Tit. *De Imaginibus*, Can. 1. 2. & 3. Turonenſis anno 1583. Tit. 11. Avenionenſis anno 1594. Tit. 26. Aquilejenſis anno 1596. Rubrica 16. Narbonenſis anno milleſimo ſexcenteſimo nono, Can. 7.

Deceptio diaboli ſub mortificationis ſpecie impudicitiam inſpirantis.

Secundum hanc denique Regulam, illos peccati lethalis reos eſſe minime dubitandum eſt, qui, etiam mortificationis ſpecie, & flagellationis, ſeu diſciplinæ (ut loquuntur) prætextu, Mulieres coram ſe nudari juberent, quod aliquando Satanas cæcis, & carnalibus cæcarum muliercularum ducibus inſpiravit. Quo de crimine *S. Antoninus* P. 2. Tit. 4. c. 1. *Sed quid*, inquit, *de illis, qui ſub ſpecie mortificationis ſpiritualis faciunt coram ſe denudare mulieres totaliter, ſicut compertum eſt in aliquibus prætendentibus ſanctitatem? credo non poſſe excuſari a mortali peccato. Et ratio hujus eſt, quia hoc eſt contra honeſtatem naturalem; adeo ut etiam primi conjuges Adam, & Eva poſt tranſgreſſionem præcepti, non paſſi ſint ſe invicem nudos videri, ſed fecerunt ſibi perizomata de foliis ficus.* Secundo, *propter periculum lapſus. David tam ſanctus aſpiciens caſu mulierem lavantem ſe, non evaſit crimen adulterii. Quomodo credendum eſt, ut non incidat in laqueum Diaboli, qui ſtudioſe ſibi laqueum parat?* Qui amat periculum, incidit in illud, *ut dicitur Eccl.* 3. Tertio, *propter ſcandalum... Non eſt ergo hujuſmodi, vera mortificatio, ſed deceptio Diaboli, & laqueus Animarum inſipientium, & dici poteſt hoc vitium impudicitiæ.*

REGULA V.

Verba impudica, & obſcœna proferre, turpiaque cantica componere, & canere, lethale ut plurimum peccatum eſt, ſive propter affectum ad res impudicas, quæ illis exprimuntur, & corruptam libidine voluntatem, ſive propter ſcandalum. Ea item audire, iiſque delectari ex propenſa ad libidinem voluntate, mortale pariter peccatum eſt. Amatoria vero cantica edere, canere, audire, caſtitati periculoſum eſt.

Verba impudica, & turpia cantica.

Hæc regula colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Turpiloquium igitur ſexto Decalogi Præcepto etiam prohibetur. Idem confirmat idem Apoſtolus 1. ad Cor. 15. 33. *Nolite ſeduci*, inquit, *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et rurſus ad Eph. 4. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Turpiloquium.

Hanc regulam confirmat *S. Clemens Alexandrinus*. L. 2. *Pædagogi*, c. 4. *Omne turpe ſpectaculum*, inquit, *omnemque turpem auditionem, & ut ſemel dicam, turpem omnem ſenſum intemperantiæ, quæ quidem eſt vera ſenſus privatio, maxime oportet nos exſcindere, quæ in oculis, & in auribus titillat, & effœminat, voluptatem caventes: fractorum enim cantuum, & flebilium Caricæ Muſæ modorum varia veneficia, intemperanti, & pravo Muſicæ artificio mores corrumpunt.* Et poſt multa: *Amatoria quidem procul abſint cantica. Sint autem cantica Dei laudes.... Sunt enim admittendæ modeſtæ, & pudicæ harmoniæ: contra a forti, & nervoſa noſtra cogitatione vere molles, & enerves harmoniæ amandandæ quam longiſſime, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam, & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt... Meretriciæ igitur Muſicæ ſunt relinquendæ.*

Et c. 5. *Oportet quoque ipſum ſubriſum docere, & caſtigaris & ſi ob turpes res excitatus fuerit, erubeſcere potius ridere, quam ſubridere, ne videamur per conſenſum collatari.*

C. denique 6. *A turpiloquio*, inquit, *& nos omnino abſtinere oportet, & eis, qui illo utuntur, os obſtruere, & aſpectu ſeveriore, & vultus averſione, & ſubſannatione, & ſæpe*

Matth. 5.

etiam aſperiori oratione. Quæ enim, *inquit*, ex ore exeunt coinquinant hominem, *Profanum, intemperantem, & petulantem cum oſtendunt, non modeſtum, honeſtum, & temperantem. Cum autem turpia æque in audiendo verſentur, & in ſpectando, Divinus Pædagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos, & modeſtos ſermones veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne poſſit ad frangendam animam pervadere pulſatio fornicationis.* Et infra: *Mundos eſſe oportet & a vocum prolationibus, quibus nullum eſſe oportet aditum ad aures eorum, qui in Chriſtum crediderunt. Hac ratione mihi videtur Pædagogus nihil, quod ſit indecorum, & inhoneſtum, nobis loqui permittere; longe ante nos præmuniens adverſus incontinentiam... Inſolenter enim ſe in vocibus gerere, facit ut meditemur inhoneſte facere. In vocibus autem eſſe modeſtum, eſt ſeipſum exercere ad fortiter ſuſtinendam libidinis impreſſionem.*

Eandem Regulam confirmat *S. Cæſarius*, Ser. 97. in Auguſtiniana Appendice 303. *Quam multi ruſtici*, inquit, *& quam multæ mulieres ruſticanæ cantica diabolica, amatoria & turpia memoriter retinent, & ore decantant! Iſta poſſunt tenere, atque parare, quæ Diabolus docet; & non poſſunt tenere, quod Chriſtus oſtendit? Quanto celerius, & melius quicunque ruſticus, vel quæcunque mulier ruſticana, quanto utilius poterat, & Symbolum diſcere, & Orationem Dominicam, & aliquas Antiphonas, & Pſalmum quinquageſimum, vel nonageſimum & parare, & tenere, & frequentius dicere, unde animam ſuam, & Deo conjungere, & diabolo liberare poſſent. Nam quomodo cantica turpia in tenebras Diaboli mittunt, ſic cantica ſancta Chriſti lumen oſtendunt.*

Pœnitentiale Romanum c. 23. gravem Pœnitentiam imponit iis, qui per turpiloquium, vel aſpectum coinquinantur. *Qui per turpiloquium*, inquit, *vel aſpectum coinquinatus eſt, tamen non voluit peccare corporaliter, viginti dies pœniteat.*

Hanc denique Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. 2. tit. 5. c. 1. §. 8. *Nulli*, inquit, *dubium eſt, quod, qui dicit verba turpia, & laſciva, hac intentione, ut ſe vel alium provocet ad luxuriam, vel ſe mente delectandi in locutione, & cogitatione turpium extra Matrimonium, mortaliter peccat... Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium* (ideſt jocoſe) *quamvis de ſe non videantur mortalia, quia peccata oris, ſecundum Sanctum Thomam, permaxime judicantur, quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: propter quod dicit Sanctus Auguſtinus, quod ream linguam non facit niſi rea mens; tamen per accidens poſſet eſſe mortale ratione ſcandali, ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus, ut cum audientes ſunt debiles ſpiritu*, ſive infirmis, *& verba eſſent multum laſciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis; ſeu audientes libenter talia, non tantum ex quadam levitate, & ſolatio vano, ſed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes; non videntur poſſe excuſari a mortali, ſicut nec a delectatione moroſa turpis cogitationis, cum ex auditu ſequantur talia, præcipue mentibus infirmorum, niſi forte hoc foret inter conjuges. Si ergo contingat præter intentionem talia audiri, vitare debent, vel ſaltem diſplicentiam mentis habere.* Quo ſpectat illud Eccl. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras.*

REGULA VI.

Librorum obſcœnorum lectio cum lethali peccato ut plurimum conjuncta eſt; lectio vero Librorum Amatoriorum periculoſa ſemper eſt, eoque nomine vetita.

Libri obſcœni, vel amatorii.

Si enim ex propenſione affectus in libidinem aliquis hujuſmodi libros, vel carmina legat, nemo dubitaverit, ipſum lethale peccatum committere. Si autem ex mera curioſitate, aut levitate, tamen lethalis peccati occaſioni, & periculoſe volens exponit, adeoque mortalis peccati etiam reus eſt: *Qui* enim *amat periculum: in illo peribit.* Si vero aliis conſciis illos legat, aut in domo retineat, ubi a conjuge, liberis, aut domeſticis legi poſſunt, lethalis ſcandali reus eſt.

Quantum vero ſit periculi in Librorum Amatoriorum lectione, teſtis eſt *S. Thereſia*, c. 4. Vitæ ſuæ; teſtis *Gerſonius* Pariſienſis Eccleſiæ, & Accademiæ Cancellarius, in Tractatu *Contra Romantium de Roſa*, & Sermone in Dominicam 4. Adventus; teſtis Synodus antiqua, quæ *Heliodoro* Tricenſi Epiſcopo Epiſcopatum ademit ob libellos amatorios, quos *Æthiopica* inſcripſerat, & *Choricleam* poſtea nominarunt, quos quidem juvenis compoſuerat. *Nam cum lectione eorum Opuſculorum juvenes multi in periculum conjicerentur, Synodus Provincialis ſtatuit, vel libellos ipſos, qui Amores accenderent, igni comſumptos abolendos, vel qui eos compoſuiſſet, Auctori functionem Epiſcopalem abrogandam eſſe. Ille vero Epiſcopatum deponere, quam ſcripta ſua ſupprimere maluit.* Refert *Nicephorus Calliſtus*, Lib. 12. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 24. *Æneæ*, & *Didonis* Amores ſe adoleſcentem legiſſe, & *Didonem* mortuam, quia ſe occidit ob amorem, ploraſſe *S. Auguſtinus* deflet Libro 1. *Confeſſionum*, c. 13. cum interim mortem Animæ ſuæ, quæ fiebat non amando Deum, minime defleret. Quanto magis lugendi ſunt, qui libros impudicos, vel amatorios, ſive ſub honeſti ſpecie intricatos Amantium caſus deſcribentes, cordaque tenera ad amorem profanum emollientes, in lucem edunt, vel legunt, dulce venenum propinantes aliis, vel bibentes? Cantica Canticorum, Moyſis, Joſue, & Judicum libros, a carnalibus, & junioribus, legi veteres prohibebant: *Ne dum eos ſpiritualiter neſciunt, libidinis, ac voluptatum incitamento ſolvantur.* Verba ſunt *S. Leandri* Hiſpalenſis Epiſcopi, in Regula, ſeu Libro *De Inſtitutione Virginum* ad *Florentinam* Sororem, c. 7. Quanto magis periculoſa cenſenda eſt eorum librorum lectio, qui profanos amores cum deſcribunt, & amantium colloquia, litterulas, artes, milleque caſus intricatos referunt, in teneris, & incautis adoleſcentum, & puellarum animis ſimiles flammas excitant? Libros, qui res obſcœnas, & laſcivas ex profeſſo tractant, a Fidelibus legi prohibuerunt, & eos retinentes ab Epiſcopis puniri ſanxerunt *Pius IV. Sixtus V.* & *Clemens VIII* Pontifices Maximi edito Librorum prohibitorum Indice. *S. Carolus Borromæus* Conc. Mediol. 10. p. 1. tit. *Quæ ad Sacramentalia pertinent*, ubi præſcribit, quæ agenda ſunt a patre-familias, cum ejus domus a Parocho benedicitur, ait: *Amoveri curabit quæcunque domi ſuæ ſunt Chriſtianæ Familiæ inſtituto indigna, quæque Dei oculos offendunt. Libros de rebus obſcœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis, ceteriſque id generis, inflammari curabit. Libros de vita Religioſa, ſpiritualiſque inſtitutis, atque exercitationibus introducet.* Et in Conc. Mediolanenſi 6. tit. *De Chriſtiana Militum Diſciplina*, ſtatuit ut Milites *in otio militari a librorum obſcenorum, quique Chriſtianos Viros non decent, lectione abſtineant; ſed martyrum Vitis legendis, in quibus fortitudo, ac virtus vere militaris elucet, totos ſe occupent, cum per occupationes militares poſſunt.* Conc. Turonenſe anno 1583. tit. *De Profeſſione Fidei*, prohibet *Ne libri ad laſciviam, & luxum provocantes imprimantur, vendantur, legantur, aut retineantur omnino*: jubetque, *ſicubi repertifuerint, comburantur, ſub Anathematis pœna, quam ipſo facto incurrent, qui minime paruerint.* Concilium Burdigalenſe eodem anno celebratum tit. 7. moneri jubet ſæpiſſime Chriſtianos a ſuis Parochis, & Confeſſariis. *Ut fugiant tanquam virus mortiferum lectionem librorum quorumcunque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obſcœnas, & impias narrationes continent; eoſque, ut olim tempore Apoſtolorum factum legimus, comburant.* Statuta Synodalia Biſuntinæ Diœceſis, Rituale Bituricenſe, Conſtitutiones Synodales Eminentiſſimi Cardinalis *Grimaldi* Aquenſis Archiepiſcopi, Abſolutionem Sacramentalem negari jubent iis, qui libros impudicos, & laſcivos apud ſe retinent, vel legunt. Si carmina poetarum *Dæmonum* cibum *S. Hieronymus* vocat Epiſtola 146. ad *Damaſcum*, quia *Dum aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, Animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt*: quid de libris, & carminibus amatoriis dixiſſet? An Chriſtiana Diſciplina non impetrabit a veri Dei cultoribus, quod ab Ethnicis Lacedæmoniis obtinuit recta ratio, qui ſcilicet *Archilochi* poetæ celebris Libro *Noluerunt liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodeſſet*; ut refert *Valerius Maximus* Libro 6. cap. 3.

REGULA VII.

Spectaculorum, & Comœdiarum frequentatio periculoſa eſt caſtitatis, & multimodis Animæ noxia. Unde vix abſque peccato intereſſe Spectaculis, & Comœdiis Chriſtianus poteſt.

Unius *S. Caroli Borromæi* ad hanc Regulam ſtabiliendam ſufficeret Auctoritas, qui in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*, ex Decreto Concilii Provincialis Mediolanenſis 3. editis, officium Concionatoris explicans, hæc habet: *Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuo reprehendat, atque in ſummum odium adducere contendet, oſtendetque quam graviter Deum offendant, quam multa mala, atque adeo publicæ etiam calamitates, infinitaque detrimenta inde exiſtant. Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum Moribus originem ducunt, Diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, execrabitur: demonſtrabit incommoda, publicaſque ærumnas inde in Chriſtianum Populum dimanare. In quam ſententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri, Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* Præcipua autem argumenta hæc ſunt, 1. Quod Chriſtiani Diabolo, & pompis ejus in Baptiſmo abrenuntient: ſpectacula vero, & Comœdiæ ad pompas Diaboli pertineant. 2. Quod Spectacula commoveant pravos affectus, & cupiditates, in quibus compeſcendis, & coercendis toto vitæ decurſu laborare ſummo ſtudio, ſummaque vigilantia Chriſtiani debent. 3. Quod Chriſtianæ pietatis ſenſum in Spectatorum animis ſenſim extinguant, virtutumque nervos diſſolvant. 4. Quod ad profanos amores, ac voluptates emolliant animos Chriſtianorum, qui voluptatem fugere debent, cum nulli rei niſi Pœnitentiæ nati ſint, & Chriſto crucifixo conformori. Quod ſint occaſiones peccati, libidinis irritamenta, multique ex ipſis pejores, nullus melior redire ſoleant. Quod e Gentilium Moribus originem ſpectacula duxerint.

Præcipua, argumenta, quæ Chriſtianos a ſpectaculis deterrere debent.

Ita Tertullianus Lib. *De Spectaculis*, cap. 1. *Quiſtatus fidei, quæ ratio veritatis, quod præſcriptum diſciplinæ inter cetera ſæcularium errorum, etiam ſpectaculorum voluptates adjuvat, Dei ſervi cognoſcite, qui cum maxime ad Deum acceditis; recognoſcite, qui jam acceſſiſſe vos teſtificati, & confeſſi eſtis, ne aut ignorando, aut diſſimulando quis peccet. Tanta eſt enim voluptatum vis, ut ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem.*

Et cap. 3. *Quorundam fides aut ſimplicior, aut ſcrupuloſior ad hanc abdicationem ſpectaculorum de Scripturis auctoritatem expoſcit, & ſe in incertum conſtituit, quod non ſignificanter, neque nominatim denuntietur ſervis Dei abſtinentia hujuſmodi. Plane nuſquam invenimus, quemadmodum aperte poſitum eſt, Non occides. Non idolum coles, Non adulterium, Non fraudem admittes: ita exerte definitum, Non ibis in circum, non in theatrum, agonem, munus non exſpectabis. Sed invenimus ad hanc quoque ſpeciem pertinere illam primam vocem David:* Felix *vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, nec in cathedra peſtium ſedit.*

Pſalm. 1.

Spectacula cupiditatum, & voluntatum incentivum.

Ibidem c. 4. *Quaſi parum etiam de ſpectaculis pronuntietur: cum concupiſcentia ſæculi damnatur. Nam ſicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ, ita & voluptatis concupiſcentia eſt: ſpecies autem voluptatis ſpectacula.*

Spectacula pertinent ad pompas diaboli, quibus in Baptiſmo renuntiavimus.

Et paullo poſt: *Ad principalem auctoritatem convertar ipſius ſignaculi noſtri: Cum aquam ingreſſi Chriſtianam Fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos Diabolo, & Pompæ, & Angelis ejus, ore noſtro conteſtamur. Quod erit ſummum, atque præcipuum in quo Diabolus, & Pompæ, & Angeli ejus cenſeantur, quam Idololatria?.... Igitur ſi ex idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitate præjudicatum erit etiam ad ſpectacula pertinere Renuntiationis noſtræ teſtimonium in Lavacro, quæ Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus ſint mancipata.*

Theatrum Sacrarium Veneris.

Cap. 10. *Theatrum proprie ſacrarium Veneris eſt. Hoc denique modo, id genus operis in ſæculo evaſit. Nam ſæpe Cenſores naſcentia cum maxime theatra deſtruebant, Moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant.*

Spectacula cupiditates excitant.

Cap. 15. *Et ſi quid modeſte, & probe ſpectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt, ſine tacita ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſis caſus incitamenta ſunt affectus. Ceterum ſi ceſſat affectus, nulla eſt voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis, eo conveniens ubi nihil conſequitur. Puto autem etiam vanitas extranea eſt nobis. Quid quod, & ipſe ſe judicat, inter eos poſitus, quorum ſe ſimilem nolens, utique deteſtatorem confitetur? Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & talia facientibus non conferamus. Si furem*, inquit, *videbas, concurrebas cum eo. Utinam ne in ſæculo quidem, ſimul cum illis moraremur! Sed in ſæcularibus ſeparamur, quia ſæculum Dei eſt, ſæcularia autem Diaboli.*

Spectacula Dei oblivionem inducunt.

Cap. 25. *An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo? Pudicitiam diſcet attonitus in Mimos? Immo in omni ſpectaculo nullum magis ſcandalum occurret, quam ille ipſe mulierum, & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in ſpectaculo ineundo prius cogitat, niſi videri, & videre. Sed Tragœdo vociferante, exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit? Et inter effœminati hiſtrionis modos Pſalmum ſecum commiſcetur? Avertat Deus a ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem. Quale eſt enim de Eccleſia Dei in Eccleſiam Diaboli tendere? De cœlo, quod ajunt, in cœnum? Illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare?*

Cum diabolo communicat, qui ſpectacula frequentat.

Cap. 26. *Cur ergo non hujuſmodi etiam Dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit, Domino teſte, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum Dæmonio rediit. Itaque in Exorciſmo, cum oneraretur immundus Spiritus, quod auſus eſſet Fidelem ingredi: Conſtanter, & juſtiſſime quidem*, inquit, *feci. In meo eam inveni. Conſtat & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte, qua Tragœdum audierat, cum exprobratione nominatim Tragœdi, nec ultra quintum diem eam mulierem in ſæculo fuiſſe.... Quot utique, & alia documenta ceſſerunt de his, qui cum Diabolo apud ſpectacula communicando, a Domino exciderunt? Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, Quid luci cum tenebris? Quid vitæ, & morti?*

Cap. 27. *Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam Cathedram peſtilentiarium, ipſumque aerem, qui deſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratum? Sint dulcia licet & grata, & ſimplicia, etiam honeſta quædam, nemo venenum temperat felle, & helleboro, ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit; ita & Diabolus lethale, quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia perinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem.*

Chriſtianus ſæculi voluptate alienus eſſe debet.

Cap. 28. *Sæculum gaudebit, dicit Dominus. Vos triſtes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum legere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Chriſtiane, & in ſæculo voluptatem concupiſcis, immo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem. Philoſophi quidam hoc nomen quieti, & tranquillitati dederunt, in eo gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi ſcenas ſuſpiras? Dicas velim, Non poſſumus videre ſine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod eſt aliud votum noſtrum, quam quod & Apoſtoli exire de hoc ſæculo, & recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi & votum.*

Hiſtrio amorem dum fingit, infligit.

Minutius Felix, in *Octavio*, eandem Moralis Chriſtianæ Regulam confirmat. *Nos*, inquit, *qui moribus, & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus in pompis veſtris abſtinemus: quarum & de Sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? In gladiatoriis homicidii diſciplinam? In ſcenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior? Nunc enim Mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. Nunc enervis hiſtrio amorem dum fingit, infligit.*

Spectaculorum pœnitenda contagia.

Idem confirmat *S. Cyprianus*, Epiſt. 1. ad Donatum. *Converte*, inquit, *vultus ad diverſa ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere: de parricidiis, & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu fieri poſſe, quod factum eſt. Nunquam ævi ſenio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla ſiunt, quæ eſſe jam facinore deſtiterunt. Tum delectat in Mimi turpitudinem magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari?... Evirantur mares honor omnis, & vigor ſexus enervati corporis dedecore mollitur, pluſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis fregerit: in laudem creſcit ex crimine, & peritior, quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter. Quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: nec deeſt probri blandientis auctoritas, ut auditu molliore pernicies obrepat.*

Spectacula ſunt occaſiones peccatorum.

Plura in eandem ſententiam leguntur Lib. *De Spectaculis* ſub ejuſdem *S. Cypriani* nomine edito, & apud *Lactantium* L. 6. *Inſtitutionum Divinarum*, c. 20, 21. & 22.

Idem Chriſtianæ Diſciplinæ caput confirmat *S. Jo: Chryſ.* Hom. 15. ad Populum Antiochenum. *Plerique*, inquit, *putant,*

tant, non conſtare, quod in theatra aſcendere peccatum ſit: Sed infinita vitæ mala ſolet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit... Ne tantum itaque peccata fugiamus, ſed ea etiam, quæ videntur indifferentia, quæ paullatim in hæc peccata nos pertrahunt. Nam qui juxta præcipitium vadit, quamvis non decidat, tremit, & ſæpe numero ab ipſo ſubverſus timore decidit: ita & qui non procul peccata fugit, ſed ſecus ipſa vadit, cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæpius.

A ſacris veſtibulis arceri merentur, qui ſpectacula frequentant.

Et Hom. 3. *De Davide, & Saule* idem tractans argumentum: *Arbitror*, inquit, *multo ex his, qui heri nos deſtituerant, & ad iniquitatis ſpectacula diſceſſerant, hodie præſens te eſſe. Optarem autem illos, qui ſint, palam noſſe, ut eos a ſacris veſtibulis arceam, non ut perpetuo foris maneant, ſed ut correcti denuo redeant. Quandoquidem & patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & a menſa ſubmovent, non ut ſemper illinc exulent, ſed ut hac correptione redditi meliores, cum debita laude, & honore in paternum redeant contubernium.* Et infra, Reos eſſe ait adulterii pleroſque eorum, qui Spectacula frequentant. *Qui enim viderit mulierem ad concupiſcendum ipſam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* (inquit Chriſtus.) *Quod ſi mulier ſponte, ac forte in foro obvia, & neglectius culta ſæpe numero curioſius intuentem cepit ipſo vultus aſpectu; iſti, qui non ſimpliciter, neque fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoque contemnant, & hujus rei gratia pergunt illuc, & totum ibi deſidentes diem, in facies abjectarum fœminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiſcendum? Ubi verba quoque accedunt fracta, laſcivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitant. Etenim ſi hic ubi Pſalmi, ubi Divinorum Eloquiorum enarratio, ubi Dei metus, multaque reverentia, frequenter, ceu latro quiſpiam verſutus clam obrepit concupiſcentia, quomodo qui deſident in theatro, qui nihil ſane neque audiunt, neque vident, ſed multa defluunt turpitudine, multa nequitia; qui undique obſidionem patiuntur per aures, per oculos, poſſint illam ſuperare concupiſcentiam? Rurſum ſi non poſſunt, quomodo poterunt unquam ab adulterii crimine abſolvi? Tum, qui liberi non ſunt ab adulterii crimine; quomodo poterunt abſque Pœnitentia ad hæc ſacra veſtibula accedere, hujuſque præclari conventus eſſe participes? Quapropter hortor, rogoque ut prius Confeſſione, ac Pœnitentia, aliiſque remediis omnibus ſeſe a peccato ex theatricis ſpectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant ſermones. Neque enim hic a nobis mediocriter delinquitur... Non metuis, o homo, non expaveſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in orcheſtra, ſpectas, ubi deteſtandæ adulterii fabulæ peraguntur, iiſdem hanc ſacram Menſam intueris, ubi tremenda peraguntur Myſteria? dum iiſdem auribus audis; & ſcortum obſcœna loquens, & Prophetam ad arcana Scripturæ introducentem: dum eodem corde & lethalia ſumis venena, & hanc Hoſtiam ſanctam, ac tremendam? Annon hæc ſunt vitæ ſubmerſio, conjugiorum corruptela, bella, pugnæque ac rixæ in domibus?... Quapropter rogo vos omnes, ut & ipſi pravas in ſpectaculis commorationes vitetis, & alios ab his retrahatis. Quicquid enim illic geritur, non eſt oblectatio, ſed pernicies, ſed ſupplicium.... Quid prodeſt illa temporaria voluptas, dum hinc perpetuus naſcitur dolor, dum nocte pariter, ac die a concupiſcentia ſtimularis?... Excute igitur te ipſum, reputans qualis fias ab Eccleſia rediens, rurſus qualis a ſpectaculis, atque hos dies cum illis conferas: quod ſi feceris, nihil opus eſt meo ſermone; ſatis enim fuerit hunc diem cum illo comparaſſe, ad oſtendendum, & quam magna ſit hinc utilitas, & quanta ſit illinc noxa.* Legatur ejuſdem Hom. 6. & 38. in *Matthæum*.

Theatrum impudicitiæ ſchola.

Qui in via Dei ambulat, ſpectaculorum vanitates fugit.

Idem confirmat *S. Ambr.* Ser. 5. in Pſ. 118. *Qui in via Dei eſt*, inquit, *vanitates non aſpicit. Via perfecta Chriſtus eſt. Qui igitur in Chriſto eſt, quomodo poteſt vanitates aſpicere; cum Chriſtus in carne ſua omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos noſtros a vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concutiſcat. Myſtica enim differamus interim. Utinam hac interpretatione poſſimus revocare ad diverſa Circenſium ludorum, atque theatralium ſpectacula feſtinantes. Vanitas eſt illa, quam cernis. Pantomimum aſpicis, vanitas eſt... Ante nos eſt Chriſtus, ante nos bravium ejus, ad quod pervenit, qui non in incertum currit, nec revocavit curſum ſuum, ſed incitavit. Ad hunc dirige oculos tuos, averte a ſpectaculis, averte ab omni ſæculari pompa.* Lege ejuſdem Librum *De Fuga Sæculi*, cap. 1.

His concordat *S. Aug.* Epiſt. 138. alias 5. ad *Marcellinum*; c. 2. *Perverſa*, inquit, *& averſa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum ſplendor attenditur, & labes non attenditur animorum; cum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum; cum glorioſa eſt effuſionis inſania & opera miſericordiæ deridentur; cum ex his, quæ divitibus abundant, luxuriantur hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes; cum Deus, qui doctrina ſua publicis vocibus contra hoc malum publicum clamat, ab impiis populis blaſphematur, & Dii tales requiruntur, in quorum honorem ea ipſa theatrica corporum, & animorum dedecora celebrentur. Hæc ſi Deus pollere permittat, tunc indignatur gravius; hæc ſi impunita dimittat, tunc punit infeſtius.*

Et Enarrat. in Pſ. 39. illum Verſum explicans, *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, ait. *Ecce quæ volebas ire, ecce turba via lata: non fruſtra ipſa ducit ad Amphiteatrum; non fruſtra ipſa ducit ad mortem. Via lata mortifera eſt: Latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus anguſtus in æternum; ſed turbæ ſtrepunt, turbæ feſtinant, turbæ collætantur; turbæ concurrunt. Noli imitari, noli averti, vanitates ſunt, & inſaniæ mendaces... Forte nobis dicturus eſt, qui verſu iſto percuſſus corrigi voluerit, & quem occupaverit timor ille juſtitiæ fidei, & volens cœperit ambulare anguſtam viam, dicturus eſt nobis: Ambulare non durabo, ſi nihil ſpectabo. Quid ergo facimus? Dimiſſuri eum ſumus ſine ſpectaculo? Morietur, non ſubſiſtit, non nos ſequetur. Quid ergo facimus? Demus pro ſpectaculis ſpectacula. Et quæ ſpectacula daturi ſumus Chriſtiano homini, quem volumus ab illis ſpectaculis revocare?.... Ecce averſus fuerit a Circo, a theatro, ab amphiteatro, quærat quod ſpectet, prorſus quærat; non eum relinquimus ſine ſpectaculo. Quid pro illis dabimus? Audi, quid ſequitur:* Multa feciſti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua. *Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei. Multa fecit Dominus mirabilia ſua, hæc reſpiciat. Quare illi voluerunt?*

Ad hos accedit *Salvianus* Maſſilienſis Presbyter Lib. 6. De Providentia. *Chriſtus*, inquit Scriptura, *pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Videlicet veſtigia Salvatoris ſequimur in circis? Veſtigia Salvatoris ſequimur in theatris? Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum, quem fleviſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc utrumque pro nobis; quia fletus compunctio eſt animæ, riſus corruptio diſciplinæ; & ideo dicebat:* Væ vobis, qui ridetis, quoniam flebitis, & beati qui fletis, quoniam ridebitis. Lucæ 6. 15. *Nobis autem ridere, & gaudere non ſufficit, niſi cum peccato, atque inſania gaudeamus; niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitiis miſceatur? Quis rogo hic error eſt, quæ ſtultitia? Numquid lætari aſſidue, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum, atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Quod rogo, hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus quamlibet immenſuratim, lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt, & amentia, ut non putemus riſum, & gaudium tanti eſſe, niſi in ſe Dei habuerit injuriam? Injuriam utique, & maximam. In ſpectaculis enim quædam Apoſtaſia Fidei eſt, & a Symbolo ipſius, & cæleſtibus Sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ eſt enim in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi ut renuntiare ſe Diabolo, & pompis ejus, atque ſpectaculis, & operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula, & pompæ etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt Diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe Diaboli confiteris? Renuntiaſti ſemel Diabolo, & ſpectaculis ejus, ac per hoc neceſſe eſt, ut prudens, & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad Diabolum te redire cognoſcas. Utrique enim rei ſemel renuntiaſti, & unum utrumque eſſe dixiſti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeaſti. Abrenuntio enim,* inquis, *Diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus ejus. Et quid poſtea? Credo,* inquis, *in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus. Ergo primum renuntiatur Diabolo, ut credatur Deo; quia qui non renuntiat Diabolo, non credit Deo: & ideo, qui revertitur ad Diabolum, relinquit Deum, Diabolus autem in ſpectaculis eſt, & pompis ſuis: ac per hoc cum redimus ad ſpectacula, relinquimus fidem Chriſti. Hoc itaque modo omnia Symboli ſacramenta ſolvuntur; & totum quod in ſymbolo ſequitur, labefactatur, & nutat. Nihil enim ſequens ſtat, ſi principale non ſteterit. Dic igitur tu, Chriſtiane, quomodo tenere te ſequentia Symboli putas, cujus principia perdidiſti?... Si cui itaque leve ſpectaculorum crimen videtur, reſpiciat cuncta iſta, quæ diximus, & videbit in ſpectaculis, non voluptatem eſſe, ſed mortem. Quid eſt enim aliud, quam mortem incurrere, vitæ originem perdidiſſe? Ubi enim fundamentum Symboli evertitur, vita ipſa jugulatur. Rurſum ergo neceſſe eſt redeamus ad illud, quod ſæpe diximus. Quid ſimile apud Barbaros? Ubi apud illos circenſes? Ubi theatra? Ubi ſcelus diverſarum impuritatum? Hoc eſt ſpei noſtræ, ac ſalutis excidium: quibus illi etſi, utpote Pagani, uterentur, minore tamen culpa ſacræ offenſionis errabant; quia etſi eſſet impuritas viſionis, prævaricatio tamen non erat Sacramenti. Nos vero quid reſpondere pro nobis poſſumus? Tenemus Symbolum, & evertimus: confitemur munus ſalutis pariter, & negamus. Ac per hoc ubi Chriſtianitas noſtra, qui ad hoc tantummodo Sacramentum ſalutis accipimus, ut majori poſtea prævaricationis ſcelere peccemus? Nos Eccleſiis Dei ludicra anteponimus: nos Altaria ſpernimus, & Theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus: ſolus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt. Denique præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipſa, quam dico. Si quando enim evenerit, ut eadem die & Feſtivitas Eccleſiaſtica, & Ludi publici agantur, quæro ab omnium conſcientia, qui locus majores Chriſtianorum virorum copias habeat, caveæ ludi publici, an atrium Dei? Et Templum magis omnes ſectentur, an Theatrum? Dicta Evangeliorum magis diligant, an thymelicorum? Verba vitæ, an verba mortis? Verba Chriſti, an verba Mimi? Non eſt dubium; quin illud magis amemus, quod anteponimus... Omni enim feralium ludicrorum die, ſi quælibet Eccleſiæ Feſta fuerint, non ſolum ad Eccle-*

Non eſt innocens lætitia, quæ ſpectaculis quæritur.

Spectacula pompæ diaboli.

Spectaculorum frequentatione Chriſtiana Fides labefactatur.

ſiam

ſiam non veniunt, qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt: ſed ſi qui inſcii forte venerint, dum in ipſa Eccleſia, ſunt, ſi ludos agi audiunt, Eccleſiam derelinquunt. Spernitur Dei Templum, ut curratur ad Theatrum: Eccleſia vacuatur, circus impletur: Chriſtum in Altario dimittimus, ut adulterantes viſum impiiſſimos oculos ludicrorum turpium fornicatione paſcamus.

REGULA VIII.

Saltationes, & Choreæ periculoſæ ſunt Caſtitati, & Innocentiæ Chriſtianæ; eoque nomine vitandæ ſunt a Fidelibus.

Hanc Regula tradunt *S. Carolus Borromæus* in Tractatu adverſus Choreas edito; ubi hanc mundanæ Choreæ definitionem approbat: *Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt Diabolus, & cujus circumferentia ſunt Angeli ejus circumſtantes: & ideo,* inquit, *raro, vel nunquam ſine peccato fit:* & *S. Franciſcus Saleſius* Introductionis ad Vitam Devotam, cap. 33. Et merito, ſunt enim occaſiones impudicitiæ, cum eo conveniant mulieres toto cultu, mundoque muliebri ornatæ, ut viris placeant; viri ut mulierum pulchritudine, colloquiis, ſaltatione, omnibuſque illecebris paſcant oculos, aures, animos, quibus ad profanum amorem illiciti, ad libidem excitari proclive eſt; maxime cum noctu vulgo fiant Choreæ, quod tempus eſt operibus tenebrarum opportunum. Hinc Spiritus Sanctus a choreis, & ſaltationibus homines deterret, Eccleſ. 9. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Quamvis autem caſtæ forte ſint mulieres choreas frequentantes, occaſionem tamen peccandi ſuis illecebris ſubminiſtrant; & præterea vanitati ſaltem, & ſuperbiæ, aliiſque malis ſe exponunt. Ibi enim aut *Luxuria negotiatur*, aut *gloria inſoleſcit*, ut Tertulliani verbis utar.

In Choreis diabolus ſaltat.

Hanc Regulam confirmant SS. Patres, præſertim *S. Jo. Chryſ.* Hom. 49. in *Matthæum*, ubi de *Herodiade* loquens, *Diaboli*, inquit, *uſa patrocinio petitionem pergit: ille enim effecit, ut ipſa ſaltans placeret, ille mentem Herodis eripuit. Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi Diabolus certe adeſt. Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus; non ut impudenter camelorum modo ſaliamus, ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quod ſi corpus deforme fit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari credendum eſt? His tripudiis Diabolus ſaltat, his a Dæmonum Miniſtris homines decipiuntur.* Et poſt multa: *Multa etiam nunc hujuſmodi ſympoſia celebrantur, in quibus etſi Joannes non interficitur, Chriſti tamen membra dilaniantur, multoque graviora committuntur. Non enim caput Joannis, qui modo tripudiant, ſed animas recumbentium petunt. Cum enim voluptatum ſervos effecerint, & illicitis meretricum amoribus occuparint, non caput a cervicibus, ſed animam a Chriſto disjungunt, adulteros, & enerves, ac effœminatos ſpectatores reddentes.*

Fœdatur anima.

Muſica ſpectacula damnat Eccleſia.

S. Epiph. in Expoſitione Fidei; Catholicæ, Eccleſiæ ſanctiſſimam diſciplinam cap. 24. exponens, inquit, *theatra, equeſtres ludos, ac Muſica Spectacula damnat.*

S. Ephrem Syrus, Homilia, cujus argumentum eſt, *Chriſtianos a ludricis rebus abſtinere oportere*, ait: *Nolite errare; nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire. Nemo poteſt Deo ſervire, ac cum Diabolo Choreas ducere; Ad imaginem Dei facti ſumus, non dedecoremus imaginem Dei: ſed tanquam milites Chriſti illum ſequamur, illi ſerviamus. Noli hodie pſallere cum Angelis, & craſtino die in tripudiis eſſe cum Dæmonibus. Noli hodie Sacras lectiones audire tanquam Chriſto dilectus auditor, & cras cytharis intentus eſſe, ut prævaricator, & Chriſti inimicus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & cras in perditionem tuam ſaltare in choreis.*

Chorearum pericula.

S. Ambr. Lib. 3. *De Virginibus*, cap. 5. *Ibi*, inquit, *intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes deliciarum eſt extrema ſaltatio. Nemo, ut dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaltat ſobrius niſi inſanit. Quod ſi juxta ſapientem ſæcularem, ſaltationis aut temulentiæ auctor eſt, aut amentia; quid Divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes Prænuntius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam ſacrilegi furoris amentiam!* Et cap. 6. de Herodiadis filia coram Herode ſaltante ſic loquitur: *Regina filia intimis mandata ſecretis, in conſpectu virorum ſaltatura producitur. Quid enim potuit de adultera diſcere, niſi damnum pudoris? An quidquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus ea, quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare oculis, rotare cervicem, comam ſpargere? Merito inde in injuriam Divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur?... Quid dicetis vos, ſanctæ fœminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas Religionem doceat, non ſaltationem.*

Choreæ, & ſaltationes Chriſtianæ innocentiæ periculoſæ.

Chriſtianos vel in ipſis Nuptiis ſaltare, Synodus Laodicena prohibuit olim Canone 51. *Publicas mulierum ſaltationes, multam noxam, exitiumque afferentes* vetuit Concil. Trullanum, *Can.* 62. *S. Carolus Borromæus* non ſolum in Tractatu ſingulari ex Patrum & Conciliorum teſtimoniis contexto ſaltationes Chriſtianæ innocentiæ periculoſas eſſe docet, ſed & in Libro *Memoriali* P. 2. cap. 6. *Valeant*, inquit, *execrandæ illæ publicæque ſaltationes, Chriſtianorum caſtitati adeo exitioſæ, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices, & occaſiones, immo cujuſcunque laſciviæ ſeminaria. Quid plura? Ex ejuſmodi ſaltantium conſortiis oriuntur corporum, famæ, rerum, & Chriſtianæ denique poſthac Diſciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo Choreæ, & una cum his tot alia Morum corruptelæ, quibus hoc maxime tempore ſolet Satanas hominum mentes ſuo imperio, vindicare, prorſus abrogentur.*

Idem in Inſtructione Prædicatorum verbi Dei: *Choreas*, inquit, *ſaltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de ſuggeſtu ſæpe graviter reprehendet, atque inſectabitur.*

REGULA IX.

Tactus impudici, & Oſcula libidinoſa ſunt peccata mortalia.

Tactus impudici, & oſcula libidinoſa.

Hæc Regula nititur verbis Apoſtoli ad *Epheſios* 5. ſcribentis: *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus... non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Turpitudinis exemplum *Oſcula*, & *amplexus* affert Gloſſa vetus a *Petro Lombardo*, & *S. Thoma* laudata.

Eandem Regulam confirmant SS. Patres præſertim *S. Cyprian.* Epiſt. 62. ad Pomponium. *Etſi*, inquit, *incorrupta fuerit virgo ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe, potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, quæ violari poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certe ipſe concubitus, ipſe* Complexus, *ipſa confabulatio*, & Oſculatio, *& conjacentium duorum turpis, & fœda dormitio quanto dedecoris, & criminis confitetur?*

S. Ambroſius, L. *De Fuga Sæculi*, c. 1. *Quis*, inquit, *inter tot paſſiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus ſæculi tutum, atque intemeratum ſervare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis avertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit odor, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adolevit.* Intravit mors per feneſtram, *dixit Propheta.* Jerem. 6. *Feneſtra tua eſt oculus tuus. Si vides mulierem ad concupiſcendum, intravit mors; ſi audias ſermones meretricios, intravit mors: ſi luxuria ſenſus tuos capiat, penetravit mors.*

Et Serm. 5. in Pſal. 118. *Non eſt*, inquit, *una feneſtra, per quam mors conſuevit intrare. Eſt & feneſtra, verborum, per quam ſermones commeant meretricis. Et ideo te ab aliena uxore cuſtodi, ne te ſermonibus gratioſis adoriatur; a feneſtra enim domus ſuæ intrat. Intrat mors per oſcula; & ideo cave, ne te laqueis labiorum ſuorum alliget. Intrat mors, ſi meretrix te oſculetur.*

Idem Lib. 3. *De Virginibus*, c. 3. *An vero*, inquit, *mediocre pudoris exemplum eſt, quod Rebecca cum veniret ad nuptias, & ſponſum vidiſſet, velamen accepit, ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, ſed pudori. Quid Rachel? quemadmodum extorto oſculo, flevit, & gemuit; nec flere deſtitiſſet, niſi proximum cognoviſſet.* Conſuetudinis enim fuit maxime in illa ſimplicitate Antiquorum, ut propinqui propinquas oſcularentur, & hoc hodie fit in multis locis, (inquit *S. Aug.* q. 87. in Geneſim.)

Tactus impudici, & libidinoſa oſcula.

S. Hier. in Vita *S. Hilarionis*, tactum, jocos, nutus, & cetera hujuſmodi vocat *Moritura virginitatis principia*. Quidni vero libidinoſis oſculis, tactibus lethales vulnus animæ infligi ſenſiſſet, quid de verbis, & litterulis amatoriis, munuſculis, ori applicitis cibis, aliiſque blanditiis? ita enim ſcribit Ep. 2. ad Nepotianum: *Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatas, ac deguſtatos cibos, blandaſque, & dulces litterulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias, & lepores, & riſu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in Comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur. Quanto magis in Monachis, & in Clericis, quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur Sacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem; ſed quod in omni propoſito, in omni gradu, & ſexu, & boni, & mali reperiantur, malorumque condemnatio laus bonorum ſit.*

S. Aug. Lib. 21. *De Civ. Dei*, c. 11. *Porro*, inquit, *ſi alienæ fœminæ oſculum infixum, rationis ſit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exigua diuturno dolore punitur?*

Eandem Regulam confirmat vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Auguſtino* editum, Tit. 3. cap. 22. *Qui per illecebroſos amplexus fœminæ, vel oſculo polluitur, tres dies pœniteat. Qui tetigerit inverecunde carnem ejuſdem fœminæ, tres dies pœniteat. Presbyter ſi oſculatus fuerit per immundum deſiderium fœminam, decem dies pœniteat, Si inquinatus fuerit, viginti dies pœniteat.*

Et cap. 27. *Si quis obtrectaverit puellæ, aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum, ſi Clericus eſt, quinque dies pœniteat: ſi Laicus, tres dies pœniteat: Monachus, vel Sacer-*

dos

dos a Miniſterio Divino ſuſpenſi, ſi aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant. Scriptum eſt enim: Neque tetigeritis, neque obtrectaveritis turpitudinem fœminarum.

Suffragatur S. *Th.* 2. 2. q. 144. art. 4. *Minus eſt*, inquit, *aſpectus libidinoſus, quam tactus, amplexus, vel oſculum: ſed aſpectus libidinoſus eſt peccatum mortale, ſecundum illud Matth.* 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt in corde ſuo: *Ergo multo magis oſculum libidinoſum, & alia hujuſmodi, ſunt peccata mortalia.* Obſervat deinde *S. Thomas*, aliquid dici peccatum mortale dupliciter: primo ſecundum ſpeciem ſuam, & hoc modo oſculum, amplexus, & tactus non ſunt peccata mortalia; poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ vel propter neceſſariam, ſeu legitimam cauſſam. Secundo, aliquid dicitur peccatum mortale ex ſua cauſſa: ſic ille, qui dat eleemoſynam alicui, ut illum pertrahat ad hæreſim, mortaliter peccat ob pravam intentionem. Inconcuſſum porro principium eſt, quod *Conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum. Et ideo cum oſcula, & amplexus hujuſmodi propter delectationem hujuſmodi fiant, conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia; & ſic ſolum dicuntur libidinoſa. Unde ſecundum quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia.* Et in Reſponſione ad ſecundam objectionem; *Oſcula*, inquit, *& tactus, quamvis ſecundum ſe non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ eſt radix hujuſmodi impedimenti, & ex hoc habent rationem peccati mortalis.* Oſcula libidinoſa *S. Thomas* intelligit, quæ ad fornicationem, aut alium actum venereum proxime diſponunt, vel ex illius intentione fiunt, aut certe, quæ delectatione excitant de fornicatione, aut alia ſpecie luxuriæ cogitationi occurrente, in quam animus afficitur, & propendet; vel quæ cum aliqua libidinis commotione volita, vel prævifa, ſeu quæ prævideri potuit, ac debuit, ſive ob delectationem carnalem, & ſenſibilem ex ipſis oſculis ortam, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis, libantur. Nam oſcula ex urbanitate, ex conſuetudine patriæ, ex honeſta amicitia, non ſunt libidinoſa, adeoque nec peccata mortalia?

Hanc Regulam rurſus confirmat *S. Th.* qu. 15. *De Veritate*, art. 4. *Simpliciter*, inquit, *concedimus, conſenſum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis, peccatum eſſe mortale. Ex quo ſequitur, quod quicquid homo agit ex conſenſu talis delectationis, ad hoc, ut hujuſmodi delectationem nutriat, vel teneat, ſicut ſunt turpes actus, vel libidinoſa oſcula, vel aliquid hujuſmodi, totum eſt mortale peccatum.*

Angelico Doctori ſubſcribit *S. Antoninus*, P. 2. Tit. 5. c. 1. *Sextus gradus luxuriæ*, inquit, *eſt libidinoſa contrectatio, quæ ſcilicet fit per oſcula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apoſtolus nominat turpitudinem, cum ait ad Epheſios* 5. Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo nec nominetur in vobis. *Omnia talia ſunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra Matrimonium; unde Apoſtolus ibi ſubdit.* Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. *In tantum enim ſunt peccata amplexus, oſcula, tactus, & ſtultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria; quod in fornicatione, & immunditia notatur.* Et paullo poſt: *De more eſt in aliquibus locis, ut non ſolum viri viros, ſed etiam viri mulieres, præcipue conſanguineas ſuas, cum de novo adveniunt, vel viſitant, amplexentur, & manus mutuo contingant, & oſculentur: ſicut & Jacob Patriarcha oſculatus eſt Rachelem adoleſcentulam amore caſto, ut conſanguineam. Neceſſitas quandoque compellit, & tangere totum corpus, & etiam ſecretiora naturæ, ut Medicus infirmam in tali parte ... Talia non ſunt peccata de ſe, quamvis poſſit ſupervenire & tentatio, & mala intentio: ſed hoc erit per accidens.* Addit ſanctus Archipræſul. *Quæ permittit hæc ſibi fieri ab eo, quem æſtimat ad hoc moveri amore libidinoſo, mortaliter peccat, quia facientem, & conſentientem par pœna conſtringit, ut dicitur* Cauſſa 2. qu. 1. C. notum: *Sed quæ permittit hoc ſibi fieri, credens talem moveri ex dilectione fraterna, ſeu honeſta amicitia, ſeu quadam humanitate, ſeu more patriæ, non peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per conſequens mortaliter peccaret; & hoc quoad oſcula, amplexus, & dando alter alteri manum, ut moris eſt, quod tamen periculoſum eſt. Et ideo cavendum eſt ab his inter virum, & mulierem, etiam religioſos.* Bonum eſt, *inquit Apoſtolus*, mulierem non tangere. *Nam, ut dicitur Eccleſiaſtici* 13. Qui tetigerit picem, *cui ſimilis eſt mulier*, inquinabitur ab ea. *Permittere autem ſe tangi in membris genitalibus, niſi ſint conjuges, vel niſi ſubſit cauſſa neceſſitatis; ut infirmitas, & hujuſmodi, credo non poſſe excuſari a mortali, cum iſtud non fiat communiter niſi ex amore libidinoſo. Et credere, quod hoc fiat pura intentione, eſt fatuitas, non ſimplicitas. Et quamvis prædicta, ſcilicet oſcula, amplexus, & tactus non impediant bonum prolis generandæ, & educandæ, quia ex his præciſe non poteſt ſequi generatio, tamen ipſa procedunt ex libidine, quæ eſt radix hujuſmodi impedimenti: & ſecundum hoc, ideſt, in quantum libidinoſa, ſunt mortalia, & non aliter.* Tum laudat *Ulricum*, cujus Sententiam approbat, & ſequitur, & in Quodlibetis, & in Summa obſervantem, quod *Propterea Apoſtolus, poſtquam reprehendit hujuſmodi vitia, ſcilicet turpitudinem, ut in tactibus, & oſculis, ſtultiloquium, & ſcurrilitatem, connumerans ea inter peccata mortalia manifeſta, quia & ipſa talia ſunt, cum procedunt ex libidine, ſubdit:* Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ. *Quod dixit propter quoſdam, qui tunc forte parvipendebant hujuſmodi vitia, ſicut & nunc ſunt aliqui turpes hujuſmodi annichilantes.* Id confirmat Chriſti verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ubi notat Venerabilis *Beda*, viſum accipi pro omni motu ad delectationem veneream extra Matrimonium. Ex quibus *Ulricus*, & poſt ipſum *S. Antoninus* colligunt, quod *Iſta eſſe peccata mortalia, tenendum eſt omnino, non tanquam opinio de qua aliter ſentire liceat, ſed tanquam Veritas ad Fidem pertinens, ſicut omnia, quæ pertinent ad bonos Mores. Et qui pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet Hæreticus, quia eſt contra Scripturam a Sanctis expoſitam.*

1. Cor. 7. — Matth. 5.

Merito igitur *Alexander VII.* Pont. Max. inter alias pravi dogmatis Propoſitiones & iſtam damnavit, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, die decima octava Martii, ordine quadrageſimam: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, Eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Propoſitio damnata.

CAPUT IX.

De ſeptimo Decalogi Præcepto.

INfinitum Dei erga humanum genus amorem magis, ac magis prædicandum, ſummaſque gratias illi hoc nomine habendas, atque referendas ab hominibus, tota ſeries Præceptorum Decalogi probat, quippe cum non vitam duntaxat, corpuſque noſtrum, & famam, exiſtimationemque illis duobus interdictis, *Non occides*, *Non mœchaberis*, quaſi præſidiis tuatur, ſed etiam hoc præcepto, Non furtum facies, tanquam cuſtodia quadam externas res; ac facultates, quæ vulgo vocantur fortunæ bona; muniat, atque defendat. His nempe verbis prohibet Deus, bona hæc noſtra, quæ in ejus tutela ſunt, a quoquam auferri, aut violari.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis Præcepti ſenſus: Quid ſit Furtum: Quot ejus genera.

I. HOC Præceptum, ut docet Concilii Tridentini Catechiſmus, duas in partes dividitur: quarum altera, quæ furtum vetat, aperte eſt enuntiata: alterius ſententia, & vis, qua jubemus benigni, & liberales eſſe in proximos, in priore occluſa eſt, & involuta. Hoc igitur præceptum violant non fures tantum, & raptores rerum alienarum; ſed & illi, qui pauperum, & inopum neceſſitatem eleemoſynis, pro modo ſuarum facultatum, ſublevare negligunt, & prætermittunt; aut ſi largiri non poſſunt egentibus, quo vitam ſuſtentent, vel ipſis renuunt commodare, juxta Chriſti Domini præſcriptum: *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Lucæ 6.

II. *Furtum a S. Thoma* definitur, *Occulta rei alienæ acceptio.* Quo nomine & injuſta detentio intelligenda eſt. *Detinere enim id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habent cum acceptione injuſta, & ideo ſub injuſta acceptione intelligitur etiam injuſta detentio* (inquit *S. Thom.* 2. 2. q. 66. art. 3. in Reſponſione ad ſecundam Objectionem.) Quid ſit Furtum.

Nomine autem rei alienæ intelligitur illa, quæ penes alterum eſt tanquam ejus poſſeſſio, ſive ille hujuſce rei proprietatem habeat, ac dominium, ſive uſumfructum; ſive hujus rei cuſtodia illi commiſſa ſit, eamque depoſiti, vel quocunque alio titulo teneat. Unde ſi quis rem propriam, quam alius tenet, vel ut pignus, vel ut depoſitum, vel ut furto ſubtractam, clam accipit, cum illam tamen recuperare poteſt ſervato juris ordine, quodammodo furti reus eſt. Unde *S. Thomas*, Articulo mox indicato, hanc ſibi proponit Objectionem: *Homo poteſt furtim ab alio accipere etiam, quod ſuum eſt, puta rem, quam apud alium depoſuit, vel quæ eſt ab eo injuſte ablata: non eſt ergo de ratione furti, quod ſit occulta acceptio rei alienæ.* Cui objectioni hunc in modum reſpondet: *Nihil prohibet id, quod eſt ſimpliciter unius, ſecundum quid eſſe alterius: ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt ejus, apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam. Et id, quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis, non ſimpliciter, ſed quantum ad detentionem.* Et art. 5. ejuſdem quæſtionis, in Reſponſione ad tertium: *Ille*, inquit, *qui furtim accepit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Unde manifeſtum eſt, quod peccat, & tenetur ad revelandum gravamen depoſitarii. Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet: (& ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad compenſandum:) ſed peccat contra commune Juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, Juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & operam dare, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Si quis tamen Juris ſubſidio rem ſuam recuperare non poteſt, ſive ob paupertatem, ſive ob potentiam detinentis, ſive ob defectum Judicis, vel probationum, aut præter ſcandalum, & abſque infirmorum offenſione rem ſuam clam accipere poteſt, furti reus non cenſetur: quia tunc proprie jus ſibi ipſi non dicit, ſed jus naturale circa rem ſuam exequitur, ex quo Juris Civilis ſubſidio illam recuperare prohibetur. Tenetur tamen efficere, ut qui detinebat, certior fiat, ſe non adſtringi ad illius reſtitutionem: ne, ſi ad Pœnitentiam converſus fuerit, damnum incurrat ipſe, aut ejus hæres, iterum reſtituendo.

Ceterum furtum non committitur, niſi res aliena, invito præter jus, & rationem domino, accipiatur. Unde qui auctoritate Judicis rem alienam accipit, a furti labe immunis eſt. Quam ob rem furti rei non fuerunt Iſraelitæ, qui juſſu Dei, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, tulerunt ſpolia Ægyptiorum, Domino labores eorum compenſante. Unde *Sapientiæ* X. dicitur: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.*

Nec furti etiam reus eſt, qui bona fide, præſumptoque non temere domini conſenſu, re aliena utitur; vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conſervationi dominus cautius, & ſtudioſius invigilet. Qui tamen jocus innoxius non eſt, ſi blaſphemiis, juramentis, imprecationibus, & maledictionibus, judiciis temerariis, aliiſve peccatis occaſionem præbeat.

Furti denique reus non eſt, qui rem alienam aufert, vel occultat, ut ſervet eam domino, & ne fures eam diripiant. Nec rea eſt uxor, quæ in neceſſarios, & honeſtos familiæ uſus clam ſubtrahit pecunias marito, eas alioqui in popinis, & ludis decocturo.

Furtum aliter definit *S. Raymundus* Lib. 2. Tit. *De Furtis* ex Lib. 46. *Digeſtorum*, eod. Tit. Lege 1. & Lib. 4. *Inſtitutionum* Juſtiniani, Tit. 1. *Furtum eſt contrectatio rei alienæ, mobilis, corporalis, fraudulofa, invito domino, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve.*

Dicitur *Contrectatio*, quia ſine ea non eſt proprie furtum, licet interveniat voluntas, verbum, vel ſcriptura; alias ſi concupiſcat rem alienam illicite, ac ſine contrectatione, eſt tranſgreſſor alterius Præcepti; *Non concupiſces*, &c. Externa tamen duntaxat furandi actio ſeptimo Præcepto non prohibetur, ſed & furandi, ſeu rem alienam contrectandi, uſurpandi, & retinendi voluntas, & animus. Eſt enim ſpiritualis Dei lex, quæ animum fontem cogitationum, & conſiliorum inſpicit. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia.* Mat. 5. 15. Et quemadmodum coram Deo reus eſt adulterii, qui mulierem reſpicit ad concupiſcendum eam; ita furti reus eſt, qui rem alienam vult ſubripere, quamvis actio furti in foro exteriori in eum non detur.

Dicitur *rei alienæ*, quia non committitur furtum in re *pleniſſime propria*: (inquit *S. Raymundus*.) Pleniſſime dixit, quia ſi alius haberet in re illa jus, puta creditor, cui res eſt pignori obligata, vel commodatarius, vel ſocius, vel ſimilis alia perſona, dominus furtive ſurripiens aliquid tali perſonæ committeret furtum (*Digeſt.* Libro 47. eodem Tit. L. *Qui re*, §. 1. & L. *Si is, qui rem*, & L. *Si ſocius*.)

Dicitur, *mobilis, corporalis*: Quia in rebus immobilibus, vel incorporeis non committitur furtum, cum propter quamdam ſui immenſitatem, vel incorporeitatem contrectari non poſſint, inquit *S. Raymundus*. Res tamen immobiles invadi, & rapi poſſunt, ſed non clam auferri, quod proprie furtum diſtinguit a rapina, & invaſione.

Dicitur *fraudulofa*: Quia ſi quis credebat, rem eſſe ſuam, vel etiam ſciebat eſſe ſuam, & credebat ſibi licere rem ſuam ſubripere, non committit furtum, licet alias teneatur. Ita jure ſancitum eſt, Lib. 4. *Inſtit.* Tit. *De vi bonorum raptorum*, §. *Ita tamen*, cujus hæc ſunt verba: *Qui aliquo errore ductus, rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens Juris, eo animo rapuerit, quaſi domino liceat etiam per vim rem ſuam auferre a poſſeſſoribus, abſolvi debet. Cui ſcilicet conveniens eſt, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via, per quam raptores impune ſuam exerceant avaritiam, melius Divalibus Conſtitutionibus pro hac parte proſpectum eſt, ut nemini liceat vi rapere, vel rem mobilem, vel ſe moventem, licet ſuam eandem rem exiſtimet. Sed ſi quis contra Statuta Principum fecerit, rei quidem ſuæ dominio cadere; ſin autem aliena res ſit, poſt reſtitutionem ejus, etiam æſtimationem ejuſdem rei præſtare.*

Nec etiam furti reus eſt, ſi credebat, ſe rem alienam accipere, vel ea uti, domino volente, ſi juſta cauſſa ſubeſt credendi dominum permiſſurum. Ita ſancitum eſt *Digeſt.* 47. eod. Tit. *Qui re*, 76. & Lib. 4. *Inſtit.* Tit. *De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur*, §. 7. dicitur; *Placuit eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant id invito domino facere, eumque, ſi intellexiſſet, non permiſſurum: at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri, optima ſane diſtinctione, quia furtum ſine affectu furandi non committatur.* Si autem rem alienam contrectare ſe putat, vel ea uti invito domino, & tamen dominus vult, nihilominus *Furtum facit, quantum ad intentionem, & mortaliter peccat; ſed non tenetur ad reſtitutionem, nec dominus poteſt petere, obſtante ſibi ſua voluntate;* (inquit *S. Raymundus*.) Idque confirmat ex Digeſtis, L. *Inter omnes*, Libro & Tit. ſuperius indicatis, §. ult. *Per contrarium quæritur. Si ergo me invito domino facere putarem, cum dominus vellet, an furti actio ſit? & ait Pomponius, Furtum me facere. Verumtamen eſt, ut cum ego vellem eo uti, licet ignoret, ne furti ſit obligatus.*

Dicitur, *Lucri faciendi gratia*; Quia ſi quis alienam ancillam meretricem rapuerit, vel celaverit, non cauſſa lucri faciendi, ſed libidinis exercendæ, non committit furtum, licet alias peccet graviter. *Nec enim factum quæritur, ſed cauſſa faciendi; cauſſa autem faciendi libido furti; non furtum:* ut habetur L. *Verum eſt*, 39. Digeſt. Lib. & Tit. citatis.

Dicitur denique, *ipſius rei, vel uſus ejus, poſſeſſioniſve*: quia non ille ſolum furti reus eſt, qui rei alienæ dominium vult lucrifacere ſic furtive, ſed etiam, qui uſum, vel poſſeſſionem rei, ut habetur in Dig. L. *Qui jumenta*, Lib. & Tit. indicatis: *Qui jumenta ſibi commodata longius duxerit, alienave re invito domino uſus ſit, furtum facit.* Et Lib. 4. *Inſtit.* Tit. *De obligationibus, quæ ex delictis naſcuntur*, §. 6. ſcriptum eſt. *Furtum autem fit, non ſolum cum quis intercipiendi cauſſa rem alienam amovet, ſed generaliter cum quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque ſive creditor pignoribus, ſive is, apud quem res depoſita eſt, ea re utatur: ſive is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quam cujus gratia ei data eſt, furtum committit, veluti ſi quis argentum utendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregre ſecum tulerit, aut ſi quis equum geſtandi cauſſa commodatum ſibi longius aliquo duxerit; quod Veteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum duxiſſet.*

III. Variæ ſunt furti ſpecies, pro veritate rerum, quæ invitis, & inſciis dominis auferuntur. Variæ furt ſpecies.

Prima dicitur *Furtum ſimplex*, quo privatum quid privato injuſte, & clanculum adimitur. Furtum ſimplex.

Secunda dicitur *Peculatus*, quo publicæ pecuniæ intervertitur. Hujus criminis rei ſunt, qui publicam pecuniam in uſus aliquos acceptam retinuerint, nec erogaverint; qui aliquid in tabulis publicis deleverint, vel induxerint, aut minorem in iis pecuniam ſcripſerint, quam quid venierit, aut locatum fuerit; item qui prædam ab hoſtibus captam ſubripuerint. Ejuſdem ſceleris reus eſt, qui, quod fiſco debetur, accepit, ſimulans ſe fiſci creditorem, quamvis privatam pecuniam abſtulerit: ſed Peculatus nequaquam committitur, ſi exigam ab eo pecuniam, qui & mihi, & fiſco debet: non enim pecunia fiſci intercipitur, quæ debitori ejus aufertur, cum fiſci debitor nihilominus maneat. Iſta conſtant ex L. *Lege Julia*, 1. L. *Qui tabulam*, 8. L. *Sacrilegi*, §. 3. L. *Hæc leg.* 10. L. *Peculatus*, 12. L. *Is, qui prædam*, Digeſt. 48. Tit. 13. *Ad Legem Juliam Peculatus*, &c. Peccatus etiam rei ſunt, qui iniquas exactiones imponunt, exigerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant; nec non Publicani, qui *amplius* exigunt, quam quod ipſis a Principe, vel Republica conſtitutum eſt, (ut loquitur *S. Joannes* Baptiſta Publicanorum interrogationi reſpondens Lucæ 3. 12.) Peculatus.

Tertia furti ſpecies eſt *Plagium*, quo homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem abducitur, venditur, donatur, vel permutatur. Quo de ſcelere *Exodi* 21. 16. ſcriptum eſt; *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Et S. Paulus 1. ad *Tim.* 1. ait: *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & condemnatis, parricidis; & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus*, Plagiariis, *mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.* De quibus quoque velut reis capitalis criminis ſtatuit Jus Civile, *Digeſtorum* Lib. 48. Tit. 6. *Ad Legem* Flaviam *De Plagiariis*, L. *Si Liberum*, 1. & L. *Lege Flavia*.

Quarta furti ſpecies eſt *Sacrilegium*, quo res ſacra eripitur, vel etiam profana a loco ſacro injuſte aufertur; aut bona, quæ Sacrorum cultui, & Eccleſiæ Miniſtris, & pauperum uſui pie, ac ſapienter attributa ſunt, in privatas cupiditates, pernicioſaſque libidines ab ipſis Eccleſiæ Miniſtris convertuntur, ut ait Concilii Trid. Catechiſmus. De hac furti ſpecie *S. Aug.* Tract. 50. in Joannem: *Ecce fur Judas*, fuit, *fur, & ſacrilegus. Non qualiſcunque fur; Fur loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunque furti, & peculatus; (Peculatus enim dicitur furtum de Republica: & non ſic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ:) Quanto vehementius judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non undecunque tollere, ſed de Eccleſia tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur, Judæ perdito comparatur.* Sacrilegium apud Veteres publicæ Pœnitentiæ addictum, conſtat ex Epiſtola Canonica *S. Gregorii Nyſſeni* ad *Letojum*. Canone 8. Sacrilegii rei ſunt Religioſi Viri, & Moniales, quæ contra ſanctitatem Voti ſui, quo paupertatem Deo voverunt, aliquid furantur, ſeu rem ſibi collatam ſine Superioris conſenſu, & facultate detinent. Unde *S. Aug.* in Regula ait: *Quæ autem rem ſibi collatam celaverit, furti judicio condemnatur.* Quod furtum ſacrilegium eſſe confirmat *Hugo Victorinus* in Expoſitione ejuſdem Regulæ; *Frater*, inquit, *qui rem ſibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Eccleſia Sancta.* Sacrilegium.

Quinta furti ſpecies dicitur *Abigeatus*, qui ovium, equorum, & aliarum id genus pecudum injuſta, & doloſa abductio eſt. Quod crimen Leges Civiles peculiari pœna plectunt, eo quod hujuſmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ cuſto- Ambigeatus.

diri non poſſint; cum per agros, & prata ut plurimum divagentur. *Abigei* ergo hi proprie dicuntur, *qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahunt; & quodammodo deprædantur, & abigendi ſtudium quaſi artem exercent, equos de gregibus: vel boves de armentis abducentes. Ceterum ſi quis bovem aberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit, non eſt abigens, ſed fur potius.* Magis autem reus eſt, *Qui a ſtabulo abegit domitum pecus, non a ſilva, nec grege*; ut habetur *Digeſtorum* Lib. 47. Tit. 14. *De Abigeis*, Lib. 1. & 3.

Rapina peccatum a furto ſpecie diſtinctum.

Sextam furti ſpeciem plerique *Rapinam* aſſignant: ſed hæc eſſe peccata ſpecie diſtincta, docet *S. Th.* 2. 2. q. 46. art. 4. *Furtum* enim, *& rapina*, inquit, *ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio eſt involuntaria ex parte ejus, cui aliquid ſubtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, ſcilicet per ignorantiam, & per violentiam.* Primum ad furtum, ſecundum ad rapinam pertinet. Fur enim clam aliquid ſurripit domino neſcienti; Raptor vero ſcienti, & repugnanti. *Raptor vult per propriam poteſtatem obtinere, fur per aſtutiam. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Et rapina quidem gravius eſt furto peccatum, tum ratione violentiæ tum, quia *Non ſolum infert damnum in rebus, ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam, ſive injuriam. Et hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum*, (inquit *S. Th.* art. 9. ejuſdem quæſtionis.) Idem confirmat Concilii Trid. Catechiſmus.

Leviori tamen hoc furti nomine divinæ Legis ſeptimum Præceptum convenienter expreſſum eſt, non rapinæ: quia furtum latius patet, & ad plura pertinet quam rapina. Illud enim quiſque committere poteſt: Rapinam vero illi tantummodo facere poſſunt, qui potentia, & viribus præſtant. Quanquam nemo non videt, excluſis ejuſdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi. Unde *S. Aug.* qu. 71. in Exodum ait: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ; (Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit: Sed utique a parte totum intelligi voluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur.* Hinc Apoſt. 1. ad *Cor.* 6. ſcribit: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.*

Rapina quam grave peccatum.

Matth. 25. Job 24. 1. Cor. 6. Eccl. 34.

V. Eſt autem Rapina, *injuſta rei alienæ per violentiam ablatio.* Quo de crimine Conc. *Treslejanum* Can. 7. hæc habet: *Eſurienti non dare panem, damnabile eſt, ipſo Domino in extremo judicio dicturo*: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c. *Quibus ſubjungit*, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus. *Hinc colligendum, qua damnatione plectendi ſint, qui aliena diripiunt, ſi tali animadverſione feriantur, qui ſua indiſcrete, & immiſericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem ſit rapina, & quot modis agatur, Job breviter enumerat, inquiens*: Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, aſinos pupillorum abegerunt, abſtulerunt pro pignore bovem viduæ, ſubverterunt pauperum viam, oppreſſerunt manſuetos terræ, agrum non ſuum demetunt; & vineam ejus, quem vi oppreſſerunt, vindemiant: nudos dimittunt homines, quibus non eſt operimentum in frigore, &c. *Audiant raptores, quid de eis Vas electionis Paulus dicat*: Neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt. *Non ergo raptor, non prædo pauperum Regnum Dei poſſidebit, niſi perfectam egerit Pœnitentiam, & injuſte ſublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui pœnitere quidem volunt, ſed res reddere nolunt: peſſimum quidem hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res rapta, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur Pœnitentia, ſed fingitur. Ii enim, ut dicit S. Aug. ſcelus ſibi cupiunt relaxari, & id, propter quod ſcelus admiſſum eſt, poſſidere. Non ergo remittetur rapinæ peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sciat ergo unuſquiſque raptor non ſibi dimitti rapinæ peccatum, niſi cum poteſt, id, quod rapuit, reſtituat: plerumque enim qui aufert amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec habet unde reſtituat. Sane Statuta Eccleſiæ antiquæ præcipiunt eorum, qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus eſſe refutanda; & merito, cum ſint apud Dominum abominabilia, teſtante ſuper hoc Scriptura*; Qui *offert*, inquit, *Sacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.*

ARTICULUS II.

Quam grave ſit Furti peccatum.

PROPOSITIO UNICA.

Furtum lethale peccatum eſt, niſi materiæ levitate, & excluſa voluntate gravis damni inferendi veniale fiat.

De Furto.

CAritati, ſcilicet, ac Juſtitiæ pariter repugnat. Vetat etiam utraque ne faciamus alteri, quod nobis fieri nolumus. Tob. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et Matth. 7. *Omnia ergo*, inquit Chriſtus, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.* Hoc Legis ipſius naturalis unum ex primis principiis, ſecundum quod furtum illicitum eſt. Unde *S. Aug.* Lib. 2. *Confeſſionum*, c. 4. ait: *Furtum certe punit Lex tua, Domine, & Lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copioſus adactum inopia.* Hinc *Oſee* 4. dicitur; *Audite verbum Domini, filii Iſrael: Quia judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & Furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, &c.* Et Zach. 5. *Hæc eſt maledictio, quæ egredietur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur.* Id *Tobiæ* perſuaſum erat, de quo ſcriptum eſt *Tob.* 2. c. *Anna uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat. Unde factum eſt, ut hædum caprarum accipiens detuliſſet domi: cujus cum vocem balantis vir ejus audiſſet, dixit; Videte, ne forte furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Apoſtolus etiam diſerte pronuntiat, *Fures* non poſſeſſuros *Regnum Dei*.

De Furto.

Furti reos a Communione diu excludi, & publicæ Pœnitentiæ ſubjici, antiqua Eccleſiæ Diſciplina ſancitum eſt; de quibus *S. Baſilius*, Epiſtolæ ad *Amphilochium* Can. 61. *Qui furatus eſt; ſi ex ſe quidem Pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, anno a ſola Sacramentorum Communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad Subſtrationem dividetur, & Conſiſtentiam; & tunc Communione dignus habeatur.*

Noſtram Propoſitionem confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 66. art. 6. *Peccatum*, inquit, *mortale eſt, quod contrariatur caritati, ſecundum quod eſt ſpiritualis animæ vita. Caritas autem conſiſtit principaliter quidem in dilectione Dei: ſecundario vero in dilectione proximi, ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus, & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in ſuis rebus; & ſi paſſim homines ſibi invicem furarentur, periret humana ſocietas. Unde furtum tanquam contrarium caritati eſt peccatum mortale.*

Catholico huic Dogmati non repugnat, quod Prov. 6. ſcriptum eſt: *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit.* Duplex enim eſt hujus Sententiæ ſenſus. Dicitur ſcilicet furtum *Non grandis culpa*, ſive *propter neceſſitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam*: unde ſubditur, *Furatur enim, ut eſurientem impleat animam*, ſive *per comparationem ad reatum adulterii, quod punitur morte.* Unde ſubditur de fure, *Deprehenſus reddet ſeptuplum: Qui autem adulter eſt, perdet animam ſuam.* Ita hunc locum explicat *S. Thomas* in Reſponſione ad primum. Poſteriorem interpretationem multo ante Venerabilis *Beda* tradiderat: *Furtum*, inquit, *non ex ſua æſtimatione, ſed ex comparatione peccati majoris, ideſt adulterii, non grandis eſſe culpa perhibetur. Sicut de Jeruſalem gravius peccante dicitur*: Juſtificata eſt Sodoma ex te: *non quia Sodoma nulla, vel pauca, ſed quia Jeruſalem plura peccavit.* Ezech. 16.

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechiſmus. *Quam grave ſcelus*, inquit, *furtum ſit, ipſa natura vis, & ratio ſatis oſtendit. Eſt enim juſtitiæ contrarium, quæ ſuum cuique tribuit. Nam bonorum diſtributiones, & aſſignationes, jam inde ab initio jure gentium conſtitutas, divinis etiam legibus confirmatas eſſe oportet; ut unuſquiſque, niſi humanam ſocietatem tollere velimus, ea teneat, quæ ei jure obtigerunt.* Sed & mala, quæ furtum conſequuntur, ſceleris hujus immanitatem declarant. Fiunt enim judicia temere, & inconſulto multa de multis, erumpunt odia, ſuſcipiuntur inimicitiæ, exiſtunt interdum acerbiſſimæ innocentium hominum damnationes. Ex hoc denique peccato vix emergunt, qui res alienas uſurparunt, & detinent. Cum enim Reſtitutionis neceſſitas divinitus illis impoſita ſit, ea tamen admodum difficilis eſt ei, qui aſſueverit ex alieno locupletari. Unde *Habacuc* 2. ſcriptum eſt: *Væ ei, qui multiplicat non ſua: Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* Rerum alienarum poſſeſſionem denſum lutum appellat, unde emergere, & expedire ſe homines difficile poſſint, (inquit Concilii Trid. Catechiſmus.)

Sed tamen materiæ levitatem efficere, ut furtum veniale duntaxat peccatum ſit, modo abſit graviter nocendi animus (quæ propoſitionis noſtræ pars eſt altera) docet *S. Th.* 2. 2. q. 66. art. 6. in Reſponſione ad tertium: *Illud*, inquit, *quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil. Et ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri; & ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem ejus, cujus eſt res. Et pro tanto ſi quis furtive hujuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari a peccato mortali. Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.*

Quæ materiæ quantitas requiratur, ut furtum mortale peccatum ſit.

Quæ porro materiæ quantitas ſufficiat, ut furtum mortale peccatum ſit, ſi quæratur. Reſpondendum eſt, Furti gravitatem æſtimandam ex pretio rei, vel pecuniæ ſumma, quæ ſurripitur, quæ ſi ad diurnum unius hominis victum ſufficiat, mortale peccatum eſſe videtur illius furtum, ſive diviti, ſive pauperi ſubtrahatur. Fieri tamen poteſt, ut ſpectatis circumſtantiis perſonarum, & locorum, major quantitas requiratur ad conſtituendum furtum lethale; quod prudentum arbitrio æſtimandum eſt. Major enim ſumma deſideratur, ut filius patri ſurripiens, vel uxor viro, mortale furti peccatum committere cenſeantur, quam ſi extraneo

ſurriperent; quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus adminiſtrator eſt, quam ad bona extranei. Expendendum ergo, an quod ſurripiunt ſit notabile, habita ratione perſonarum, & locorum. Ad mortalis etiam peccati malitiam furtum pertingere poteſt, ſi minor ſumma ſubtrahatur: habita ratione perſonæ, & neceſſitatis rei, quæ ſurripitur, damnique ex illius ablatione conſecuti. Qui enim pauperi furatur aſſem, qui ipſi ad panem comparandum neceſſarius eſt, lethalis proculdubio peccati reus erit, non minus quam ſi diviti decem aſſes furaretur. Et ſi furetur aliquis artifici inſtrumentum ſuæ artis, modici quidem pretii, quo tamen ſubtracto ceſſat a labore, adeoque a lucro, quia aliud ſtatim comparare non poteſt, mortalis peccati reus eſt, & reſtituere tenetur, non ſecundum æſtimationem inſtrumenti, ſed ſecundum æſtimationem damni furto conſecuti, lucrique ceſſantis.

De Furto.

Uxor, quæ de bonis mariti, ſive communibus aliquid ſurripit ad ludendum, eſt furti rea.

Faceſſant igitur, qui ſcribere non erubuerunt, Uxorem non eſſe furti ream, ſi de bonis mariti, ſeu de bonis communibus, quorum penes ipſum adminiſtratio eſt, aliquid ſurripiat ad ludendum. Rea certe eſt furti, & quidem lethalis, ſi ſummam notabilem clam accipiat invito marito, eamque ludo exponat. Gravem enim injuriam infert viro, qui caput eſt mulieris, grave damnum rei domeſticæ. Ream uxorem, quæ inconſulto, & invito marito notabiles eleemoſynas erogat, *S. Th.* poſt *S. Aug.* in Epiſtola ad *Ecdicium* ſcripta, aſſerit, Theologique conſentiunt univerſi: Itaque multo magis rea eſt, ſi marito pecunias ſurripiat ad ludendum. *Mulierem conjugatam non licet dicere. Facio quod volo de meo*, (inquit S. Aug.) *cum & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc eſt viri.* Nec ipſam excuſat, quod locupletem dotem attulerit. De bonis enim dotalibus diſponere pro arbitrio non poteſt ſuperſtite marito, ad quem illorum dominium fructuſque pertinent pro Matrimonii oneribus ſuſtentandis; ut conſtat ex L. *Si prædium*, C. Lib. 5. Tit. 12. De Jure Dotium. *Si prædium*, inquit, *uxor tua dotale venumdedit, ſponte necne contractum ratum habuerit, nihil intereſt: cum rei tibi quæſitæ dominium auferre nolenti minime potuerit.* Et L. *Pro oneribus*, eod. Tit. *Pro oneribus Matrimonii, Mariti lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cepit.* Furti ergo lethalis nihilominus rea eſt, ſi ex bonis mariti, vel etiam ex bonis dotalibus, aut eorum fructibus ſummam notabilem ſubtrahant, illo invito, ſive ad ludum, ſive ad luxum, ſumptuſque ſuperfluos. Si tamen ad ornatum ſtatui ſuo convenientem, vel ad honeſtam recreationem clam accipiat quod vir avarus, aut prodigus, ac decoctor injuſte negat, lethalis peccati ream non dixero. Si vero ad ſolvenda debita, & ſuſtentationem filiorum, ad avertendum familiæ damnum, exemplo prudentis *Abigail*, de qua 1. *Reg.* 15. a furti labe immunis omnino cenſenda eſt.

Propoſitio damnata.

Ex his patet, quale judicium de iſta Propoſitione ferendum ſit: *Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis, ac victu habeatur.* De illa certe non aliter judicandum eſt, quam Clerus Gallicanus judicavit in Comitiis generalibus anni 1700.

Hæc Propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati peſſimas fallendi artes adjungit: & in vitam humanam neceſſitates inducit a Chriſtiana ſimplicitate abhorrentes.

ARTICULUS III.

Regula Moralis Chriſtiana circa Furtum, & Rapinam.

REGULA PRIMA.

Lethalis Furti rei ſunt pauperes; qui divitibus aliquid notabile ſurripiunt, quamvis divites grave ex illius ſubtractione incommodum non patiantur.

De Furto.

NON enim ex ſolo incommodo, & nocumento, ſed ex rei, quæ ſurripitur, pretio, & ſummæ, quæ detrahitur, quantitate, furti gravitas in primis æſtimanda eſt. Hanc Regulam confirmat Canon *Forte*, cauſſa 14. q. 5. ſub nomine *S. Aug.* laudatus, ex Homilia alias ſeptima inter Homil. 50. nunc inter Sermones in Appendice rejectos 287. *Forte*, inquit, *& hoc ſecum cogitat aliquis, & dicit, Multi ſunt Chriſtiani divites, avari, vel cupidi; non habeo peccatum, ſi illis abſtulero, & pauperibus dedero: unde enim illi nihil boni faciunt, mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas dedero. Etiam in hac re parcat unuſquiſque animæ ſuæ: quia hujuſmodi cogitatio ex Diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat, quod abſtulerit, addit potius peccata, quam minuat.*

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechiſmus: *Audire licet*, inquit, *interdum fures, qui nihil ſe eo peccare contendant, quod detrahant aliquid locupletibus, & copioſis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne ſentiant quidem. Miſera ſane, & peſtifera defenſio.*

REGULA II.

Lethalis peccati reus eſt, qui per plura Furta leviora notabilem ſummam totalem abſtulit, ſeu eidem perſonæ, ſeu diverſis: ſive ab initio voluntatem habuerit notabilem ſummam per plura Furta minima corradendi, ſive non.

Si enim ab initio pravam hanc voluntatem habuerit, quodlibet furtum, quamvis ſecundum rei clam acceptæ quantitatem minimum, ratione tamen pravæ illius voluntatis grave, ac mortale eſt, ut colligitur ex Canone *Fur autem*, cauſſa 14. qu. 6. qui ex *S. Hier.* in c. 2. Epiſtolæ S. Pauli ad *Titum* ſumptus eſt: *Fur autem*, inquit, *non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur. Non enim id, quod furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur.* Idque *S. Th.* confirmat, 2. 2. q. 66. art. 6. in Reſponſione ad tertium: *Si tamen*, inquit, *habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.*

De Furto.

Nec refert quod a diverſis accipere velit, nullique grave damnum inferat, neque porro inferre velit. Quamvis enim ſingulis ſeorſim ſpectatis leve damnum inferat, omnibus tamen ſimul conſideratis, adeoque Reipublicæ graviter nocet. Quamobrem mercatores, qui ponderibus, aut ſtateris, & menſuris inæqualibus, & doloſis utuntur, aut plus juſto pretio merces ſuas vendunt, lethale peccatum ſingulis vicibus committunt, ob pravam iterandi leviora furta voluntatem, & res ſuas his fraudibus augendi, quamvis leve ſit, quod ſingulis vicibus injuſte accipiunt: atque ita in perpetuo damnationis ſtatu verſantur. Unde Deut. 15. ſcriptum eſt: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam.* Et Prov. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.* Rurſuſque c. 20. *Abominatio eſt apud Dominum pondus, & pondus: Statera doloſa non eſt bona.* Et Mich. 6. *Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena. Numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa? In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis.*

Sed & ille, qui non habet voluntatem aliquid notabile accipiendi, graveque damnum inferendi proximo, & tamen paullatim notabilem quantitatem, ſive ſummam accipit, mortaliter peccat, non ſingulis quidem furtis levioribus, ſed eo demum, quo ſumma notabilis completur. Furtum enim illud poſtremum moralem cum præcedentibus connexionem habet, qua fit, ut fur res alienas detineat in quantitate notabili, & ad mortale peccatum furti conſtituendum ſufficiente. Sicut enim qui diebus feſtis ſervilibus operibus vacat pluribus per diem vicibus per brevem tempus, verbi gr. per quadrantem; vel die Jejunio dicata pluries extra refectionis horam leve aliquid comedit, nihilominus mortalis peccati reus eſt, ſi ex pluribus quadrantibus, quibus laboravit, notabile tempus unius ſcilicet, vel duarum horarum accreſcat: aut ex his, quæ pluribus vicibus comedit, notabilis quantitas confletur, ex qua ſimul ſumpta violari jejunium cenſeantur; quamvis voluntatem ab initio non habuerit tantum temporis in labore conſumendi, aut tantum comedendi: ita qui plura furta leviora committit, lethalis peccati reus eſt, cum ad ſummam notabilem aſcenderunt; quamvis ab initio voluntatem non habuerit ſummam notabilem auferendi, ſed ſenſim ad illam pervenerit. Quicumque enim rem alienam in notabili quantitate retinet, lethalis furti reus eſt: ille porro rem alienam in notabili quantitate retinet: lethalis igitur furti reus eſt.

Propoſitio damnata.

Merito itaque ab *Inn. XI.* Pontifice Max. inter alias pravi dogmatis in Re Morali Propoſitiones anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Menſe Martio, & hæc Propoſitio damnata eſt ordine trigeſima octava: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.* De hac Propoſitiones ita judicavit & Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc Propoſitio eſt falſa, pernicioſa, & furta etiam gravia approbat.*

REGULA III.

Gravis neceſſitas Furtum non excuſat, ſed ſolum extrema. Unde pauper gravi neceſſitate afflictus, ſi quid notabile ſurripiat eo colore, ut neceſſitatem ſuam ſublevet, lethalis nihilominus peccati reus eſt.

De Furto.

Quamvis enim divitum ſuperflua jure naturali pauperum ſuſtentationi debeantur: *Quia* tamen *multi ſunt neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri; committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio propriarum rerum, ut ex eis ſubveniat neceſſitatem patientibus*, inquit *S. Th.* 2. 2. q. 64. art. 7. Qui ergo communem, aut gravem etiam neceſſitatem patiantur pauperes, quam ſublevare ſaltem poſſint mendicando, rei ſunt furti: ſi quid e rebus divitum clam